



Jo. Baptistae Montani Veron 1554










Coll. L,

2 leaves,
40 leaves, last blank,
20 leaves,
52 leaves,
29 leaves.
(S.)

Liv 6 no 237
180 lira



IO. BAPTISTAE MONTANI VERON. PHILOSOPHI AC MEDICI EXCELLENTISS. DE EX=CREMENTIS LIB. II.

A' VALENTINO LVBLINO POLO-*no in studiosorum communem utilitatem dati.*

Alter de Fecibus, Alter de Vrinis.

QVIBVS ACCESSIT QVÆSTIO eiusdem quomodo medicamentum æqua-le, uel inæquale dicatur.

Tractatus etiam utilissimus, de Morbo Gallico.

NVLLA SINE LABORE



EST VIRTVS.

VENETIIS, APVD BALTHASSA=REM CONSTANTINVM, AD SIGNVM DIVI GEORGII. M. D. LIIII.

calida sicca
calida humida
sicca
liquida
media


v. de fol 26

In explanatione consideranda
1 natura
2 quantitas
3 qualitas
4 tempus
5 locus



ILLVSTRI ET MAGNIF. D. D. STANISLAO COMITI À THENCZIN CASTELANO LEOPOLIENSI &c.

VALENTINVS LVBLINVS Polonus. S. D.



OCVM de excrementis magni Hippocratis, Montanus Veronensis, olim commentarijs illustrauit: quos uolui emaculatiores, quàm antea in lucem prodire. Hos quidem in duos libros distinxi alterum de Fecibus, alterum de Vrinis inscriptos, ut materiæ partes suo quæq; loco dispositæ lectori ultrò se se offerant. Ita enim confusas in unum corpus offendi, ut mihi necessarium fuerit non solum in libros, sed etiam in capita distribuere præsertim librum de Vrinis cui multa subtraxi minime necessaria, & nonnulla addidi, quæ præcisa esse cognoui Librum autem de Fecibus, qui nondum exierat in uulgus ea diligentia, qua potui & castigaui & expoliui; Sperabam enim utrosque medicinæ candidatis fore apprime utiles: si quidem locos contineant ex quibus uniuersa fermè ars et curandi & prospiciendi & prædicendi constituitur. Ve=

rum si qui erunt, quos quidem non paucos futuros augu-ror, qui mortuo de laude detrahant, tibi persuadeas ue-lim non alios fore, quàm illos, quorum captiosas argu-tationes refutauit, & arrogantiam uiuens fortiter retu-dit. Dispeream, nisi statim obmutescant ubi illis argumen ti id genus tractandum, proposueris quod si forte susci-piant (nihil enim temere non audent) nihil profectò a-liud inculcabunt quàm mera sophismata & inanem stre-pitum uerborum putidorum sine aliqua subiecta senten-tia. Sed hos rancidos Sophistas & Thessalos arrogan-tes, nihil interea moror, dum sentio Montani opera Me-dicis non mediocriter prodesse; & si scio in his multa desiderari posse. Tu tamen æqui boniq; consules, pro-pterea quod non ab authore proficiscuntur. Id quoque incommodum accessit quod incidi in Typographos ualde imperitos ac negligentes, sed ex unguibus (ut uetus uer bum est) Leonem cognosces, atque pro ipso contra ui-tiligatores patrocinium suscipies. Tu enim ille es, in quo omnia uirtutum genera, usque adeo relucent, ut Se-renißimus Rex Poloniæ te charum in primis habeat, ubi namq; intelligent maleuo-li opera Montani sub tuo nomi ne exire in lucē desinent ma ledicere. Vale et me ut facis ama.

Patauij quarto nonas Decembris.
M. D. LIIII.

IOANNIS BAPTISTÆ MONTANI VERONENSIS LIBRI DVO DE EXCREMENTIS

utiles ad cognitionem ſecundi libri prognoſticorum Hyppocratis.

LIBER PRIMVS DE FECIBVS.



ERMO *noſter inſtituitur de excrementis, quæ materia utilis non ſolũ* Me*dico eſt, ſed etiam neceſſaria, quoniam non poſſunt curari morbi, niſi prius cognoſcantur.* Primum enim *quod nobis occurrit, eſt corpus ægrum, & quia ibi ægritudinis cauſæ latent, opus eſt per ſua ſigna cauſas inueſtigare quoniam ſi non habuerimus ſigna, fruſtra erit cauſarum inquiſitio, conſtat ergo ſigna medico eſſe neceſſaria.* At inter *ſigna magis certa ſunt ea, quæ ab excrementis ſumuntur propterea quòd (ut ſcriptum eſt in methodo noſtra uniuerſali, quam compoſuimus ad utilitatem medicorum) tres tantum eſſe fontes diximus, à quibus hauriebamus omnia ſigna, & licet* Galenus *in ſecundo de locis affec. poſuerit quinque, poſſunt tamen ad tres reduci:* Primus *fons ſunt operationes, cognoſcimus enim corpus ſanum uel ægrũ*

ex singularum partium operationibus, quæ à suis uirtutibus dependent, scimus autem tres esse uirtutes nostrum corpus regentes, animalis, uitalis, naturalis, & quælibet istarum propriam obtinet sedem, animalis in cerebro, naturalis in hepate, uitalis in corde, si homo non bene discurrit, & male imaginatur, affectus erit in cerebro, si non concoquit, ac per aluum non excernat, uitium erit in uirtute naturali, & in uentriculo, & hepate, si autem non bene respirat, læsio erit in corde, si contrario modo se habeant, sanus dicetur homo. Secundus fons sunt ipsa excrementa, de quibus loquuturi sumus. Tertio sunt omnia accidentia quæ sequuntur morbum tanquam umbra corpus, & isti sunt tres fontes, à quibus sumimus omnia signa particularia, sed oportet prius uniuersalia omnia considerare, ut habitis uniuersalibus, facilis nobis sit uia ad particularia descendere, quoniam artifex, inquã tum artifex debet prius considerare uniuersalia, anteq̃ ad particularia deueniat. Ex his tribus fontibus omnium utilißima sunt excrementa, & certißima: quoniam offerunt sese omnibus sensibus & ideo nullum est certius istis. Primum enim offerunt sese uisui & sic iudicamus, cuius nam sint coloris. Secũdo cuius substantiæ sint gustui, ut lachrymæ, & pituita à capite destillantes gustantur. Tertio, odoratui, quæ fœtent. Quarto quæ sonãt, strepunt, & strident. Quinto quæ sint nimis dura, aut mollia sensui tactus occurrunt, & sic patent omnibus sensibus & ideo omnium utilißima iudico esse, & certißima, cum in ipsis falli non poßimus: immo uidi nonnullos medicos de urinis solum

lum cognitionem habẽtes, omnes morbos iudicare, licet Galenus dicat, urinam non indicare nisi affectus, qui sunt in uenis, nihilominus possunt omnes ægritudines indicare non immediate, sed mediate, & cum ista sint utilia, decreui de excrementis sermonem habere ac de ipsis prius uniuersaliter loqui, ut simul uniuersalia & particularia cognoscamus, & processus noster non erit ita prolixus, quemadmodum in alijs nostris processibus, quoniam diuersa est materia, & non omnia sunt æqualiter docenda, ut paulo ante monstrauimus: non enim ita erimus occupati circa causas, neque circa corpora, sed medium modum tenebimus. Volentes igitur tractare de excrementis, decreuimus ob breuitatem & utilitatem Hipp. tanq̃ ducem sequi, & maxime, quia habet annexam expositionem ipsius Galeni. anteq̃ ergo ad eius interpretationem ueniamus, nonnulla prælibabimus, q̃ necessaria sunt. Itaque primo uidendum quid sit excrementum, ab ipsa natura rei exordientes, à qua omnia bona emanant: sed quia in diffinitione omnes passiones innotescunt, ideo à diffinitione exordiendum est. Excrementum ergo nihil aliud est, nisi materia quædam redundans in corpore propter aliquam causam, aut extrinsecam, aut intrinsecam, quam natura tentat expellere propter conseruationem corporis animalis, hæc diffinitio bona est, & omnia habet requisita ad bonam definitionem, ibi est causa materialis, quæ habetur loco generis: per materiam etiam possumus intelligere quatuor humores, ex quibus conficitur nostrum corpus & quod sit

Excrementum quid.

excrementum, cum hæc materia ſit quoddam genus, differentias habet, uolens explicare differentias, dixi redundans in corpore, quando poſtea dicitur propter cauſam extrinſecam uel intrinſecam, tunc dat nobis cauſam efficientem, quæ duplex eſt intrinſeca, ut mala intemperies, mala compoſitio, ſolutio unitatis: extrinſeca uero, ut aer, cibus, & potus, & denique, quæ extrinſecus accedunt, cum uero ſubdit; propter conſeruationem corporis animalis, denotat cauſam finalem includendo formalem, & quoniam natura non ſemper expellit, ideo poſitum fuit, tentat expellere propter indiuidui conſeruationem. Quæ diffinitio recte intellecta maximam dabit occaſionem inueniendi affectus, oportet modo uidere utrum in iſta diffinitione ſit aliquod multiplex, & ſi aderit, illud eſt diuidendum. Vidimus enim iſtud excrementum, eſſe quoddam multiplex, ideo diuidendum eſt. At diuiſio debet eſſe eſſentialis non accidentalis, diuiſio autē eſſentialis datur per materiam, & formam, cum facimus ſic, ſumendo prius diuiſionem à materia, excrementorum quædam eſt materia uaporoſa, quædam corpulenta, hæc diuiſio eſt Galeni in primo de uſu partium à principio. Quantum ad uapores, dicebat Ariſt. in principio Meteoro. quòd quidam ſunt calidi & humidi, quidam calidi & ſicci; iſta ſunt in noſtro corpore, quemadmodum in uniuerſo, uapores calidi & ſicci faciunt uarios uentos, & flatus quamplurimos, & quando includuntur in aliquo loco, faciunt terræmotus, ſic etiam eſt in noſtro corpore quando adſunt uapores calidi & ſicci faciunt quandoque pruri-

tum,

tum, lassitudinem ulcerosam, & prout sunt in diuersis partibus corporis, faciunt diuersos effectus, si accedunt ad caput, magni comitantur dolores, si occluduntur in ali quo loco, faciunt terræmotus in corpore: si sunt ualde ignei & tendunt ad aliquod membrum nobile, ac ibi occluduntur, uaria fiunt symptomata & dolores uehementes & tremores, & ut plurimum phrenitides. ergo secundum ipsorum qualitates & loca, ad quæ tendunt, diuersos faciunt affectus. alij sunt calidi & humidi, qui dum pertranseunt corpus, crassefiunt, sicuti in mundo, quando uapores calidi & humidi eleuanaur à terra & pertranseunt aerem, & ibi crassefiunt, manentesq; sub illa forma generant nubes: si uero adhuc condensantur fiunt pluuiæ, et fulgura, grandines si pertranseant secundum regionem, generantur in uarijs locis corruscationes, & cometæ, sic etiam est in hoc nostro paruo mundo si isti uapores tendunt ad aliqua loca, manentes tamen sub forma uaporum, faciunt dolores extensiuos, bubones: at si crassefiunt, & condensantur, faciunt adnata cangrenas & huiusmodi, si remaneant calidi & humidi: loca, ad quæ tendunt, inflantur, sed non remanent diutius ut in longis morbis. quando uapores tendunt ad pedes, mane abeunt & sero redeunt, quoniam difflant per porositates cutis, uel isti uapores crassefacti permiscentur spiritibus & calor fit se ipso humidior & crassior, tunc contingit manifesta in pulsu inæqualitas & ascendens ad caput generatur morbus ille, qui melancholia dicitur, ut patet per Galenum tertio de locis affectis, si ue-

niunt ad partes anteriores & permiſcentur ſpiritibus ui ſiuis, fiunt tenebre ante oculos, ſicuti fit ex ſole, quãdo uapores à terra eleuantur, & fiunt quædam caligines & tenebræ, quia radij obtenebrantur, & qui ambulant in die illa, credunt ſe per noctem deambulare: unus non ſecernitur ab altero, & pueri uidentes hominem, maximo metu afficiuntur, credentes ſe uidere lupum. idem euenit nobis, quando illi uapores craſſefacti aſcendunt ad cerebrum & prout ad diuerſas partes tendunt, diuerſa fiunt accidentia, & hæc ſufficiant pro iſto membro. Dicebamus materiam quandam eſſe uaporoſam, quandam corpulentam, de uaporoſa ſatis dictum eſt, reſtat, ut de corpulenta dicamus. Corpulenta materia dicitur, quia poteſt uideri & tangi, quæ in triplici differentia reperitur, quædam enim eſt ſicca, quædam liquida, quædam media, ſicca & terrea ſunt quæ egeruntur per aluum, & calculus, qui generatur in ueſica, & illa materia, ex qua generantur potri ſi Galeno credimus: liquida uero & fluxilis eſt in omnibus concoctionibus in prima, ut in uentriculo pituita, in ſecũda, in hepate flaua bilis, & ſi ſicca dicatur & faciat effectum ſiccum, non propter hoc eſt ſicca. Tertia in liene, ut atra bilis, iſtæ ſunt materiæ liquidæ fluentes. obliti ſumus de uno, quod debet repeti in primo membro, quòd ſcilicet quando uapores creſcunt, excitantur ſudores: præterea dicebamus etiam eſſe materiam mediam, ut pituita uiſcida diſtillans à capite & fex ſanguinis, & quamuis, ut dixi alia dicatur calida & ſicca, poſſunt tamen dici fluida, ut patet per Galenum in ſecundo de facul-

cultatibus naturalibus, quoniam omnia habent potentiam fluendi, & sic habemus omnium excrementorum diuisiones à materia sumptas. Est postmodum alia diuisio quæ sumitur à forma, siue à proprietate formali, uidelicet quædam excrementa sunt secundum naturam, quædam præter naturam, quæ sunt secundum naturam, & quæ præter naturam, quibus terminis & proprietatibus discernantur, statim dicemus, sed oportet prius scire, quomodo generantur in corpore, ut dicit Galenus primo de Tuenda sanitate, ubi optime discurrens ait, cum corpus nostrum sit in perpetuo fluxu, fuit consentaneum, ut natura institueret aliquid, per quod instauraretur illud deperditum & instituit cibum & potum: sed quoniam cibus, & potus sunt ualde dissimiles, & non potest fieri concoctio, nisi ex similibus, concoctio autem nihil aliud est nisi præparatio ad assimilationem, sed non potest fieri ista præparatio, nisi fiat separatio boni & mali, quæ separatio fit in uentriculo in prima scilicet concoctione. igitur necessario fiunt ibi excrementa, quoniam id, quod est bonum, natura retinet, quod uero malum est, abijcit: & ideo natura sagax & prouida, quæ nunquam deficit in necessarijs, nec abundat in superfluis, fecit instrumenta, per quæ deferuntur illæ feces, fecit intestina, at cum adhuc esset dissimilis cibus, & propterea oporteret adhuc segregare, instituit secundam concoctionem, quæ est in hepate & fecit meatus, per quos deferuntur istæ feces, & ibi generatur sanguis & cum sanguis tres habeat partes, crassam, tenuem,

Quomodo generantur excrementa

mediocrem, natura instituit tria uasa, in quibus commorantur istæ tres partes propter partem crassam, terrestrem, & adustam, quæ sunt ueluti feces: fecit lienem, ut reciperet istam partem, quæ in melancholiam conuertitur, propter partem illam tenuem leuemq; præparauit natura uesicam fellis, ut reciperet eam partem, quæ in bilem ruffam conuertitur, propter mediam partem instituit natura uenas deputatas ad hoc, ut deferant alimentum per uniuersum corpus, in tertia autem concoctione, quantò magis materia purior, tantò magis est subtilior, quæ concoctio fit in uenis per totum corpus, cum materia sit subtilis & uaporosa natura non præparauit uias amplas, sed dedit porositates, per quas expurgarentur excrementa, istius tertiæ concoctionis. in prima natura instituit uias amplas, quoniam erat crassior materia, in secunda strictiores, quia materia erat adhuc magis purgata. Hoc satis sit, quantum ad excrementa naturalia. Quæ uero sunt præter naturam, ea de necessitate aggregantur uel propter causas extrinsecas, aut intrinsecas, et sic patet ueram esse diffinitionem excrementi datam, quoniã ibi explicantur omnes partes. si ergo istæ causæ sunt naturales, effectus erunt naturales, ac excrementa erunt naturalia, quæ generabuntur. si uero præter naturales excremẽta erunt præter naturalia, et effectus præter naturales. Et si aer sit affectus aliqua mala qualitate, excrementa quoque erunt male affecta quoniam peccabunt uel substantia, uel quantitate, uel qualitate. Et si causæ erunt præter naturam intrinsecæ, generabuntur humores præ

ter

ter naturam et exibunt excrementa præter naturã, cauſa aũt intrinſeca, uel erit mala intemperies, uel màla compoſitio, uel ſolutio unitatis & iſtæ ſunt omnes cauſæ aggenerantes excrementa præter naturam, & ſic habemus omnes diuiſiones excrementorum in corpore noſtro redundantium. Deeſt modo, ut uideamus, quæ ſint ſecundum naturã et quibus proprietatibus cognoſcantur. Primo habent ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem conuenientem, exeunt quando exire debent & per debita loca, & ſi deerit unum ex iſtis erunt, præter naturam, ſi duo, adhuc magis, ſi tria, adhuc magis, ſi quatuor, uel ſi omnes, adhuc etiam magis. Quantum igitur ad ſubſtantiam attinet, illa ſubſtantia eſt penitus naturalis quæ attenditur penes modos ſubſtantiæ, modus attenditur circa tenuitatem & craſſitiem iſta ergo ſubſtantia neque nimis craſſa, neque nimis tenuis, ſed medio modo ſe habet. Secundus modus attenditur iuxta duritiem & mollitiem quòd non ſit, neque nimis mollis, neque nimis dura. tertius modus eſt circa æqualitatem, & inæqualitatem, & diſtinguitur à ſimili. Dicimus enim illud eſſe æqualæ, quòd habet partes ſibi æquales, ut in urina, nam illa dicitur urina æqualis, in qua non eſt ſpuma, neque fex, inæqualis in qua eſt fex & ſpuma. Quartus modus eſt penes liquidum & ſiccum, licet liquidum uaporoſum non posſit uideri. hæc de ſubſtantia circa qualitatem dicimus conſiderari. poſtea uero per qualitates omnium ſenſuum diſcurremus & primo circa qualitates tangibiles, an ſint calida, uel frigida, uel per aluum, uel per ſpu-

per ſputum: ſecundo iuxta qualitates guſtatiles & præſertim quæ expuuntur per os, ut pituita deſcendens à capite, utrum ſint ſalſa necne aut ſi habeant aliquem aliũ ſaporem: tertio per qualitates odoratiles, utrum fœteant, aut non: nam ſi ſputum fœtet, maximum eſt inditiũ, quòd non ſit ſecundum naturam, & periculum ualde eſt de morte: quarto iuxta qualitates audibiles, ut ſi feces excernuntur cũ ſtridore, an ſine ſtridore, hoc enim maximi refert: quinto iuxta qualitates uiſibiles, ut ſi excremẽta ſint alba, uiridia, crocea, nigra &c. & hæc hactenus de conſideratione qualitatis excrementorum, ſecundum omnes ſenſus. Ex quantitate uero quando ſecundum debitam proportionem exit, ita quòd non excedit, neque diminuitur à naturali: ſecundo iuxta tempus, quando excrementa excernuntur ſuo tempore, quando .ſ. materia eſt conconcta, iuxta illud Hipp. concocta euacuantur, iſta erit naturalis euacuatio, et ſuo tempore: tertio uero & ultimo p ſua loca, & p uaſa cõuenientia, ut feces p aluũ, ille locus eſt naturalis, ſi uero per uomitum ſignum eſt præter naturam, & læthale, & ubi aliquid horum deerit, iſta excrementa non erunt naturalia, & eodem modo dicendum eſt de excrementis præter naturam, ſicuti diximus de naturalibus, quoniam contrariorum eſt eadem diſciplina. Sed eſt una quæſtio, quæ ſæpe agitatur inter uulgares medicos, utrum, ſcilicet exitus hæmorrhoidum ſit naturalis uel ex toto genere præter naturam, ſi intelligitur cũ diſtinctione, facilis erit ſolutio, patet eſſe ſecundum naturam iſte exitus, aut præter naturam, præter naturam, quoniam

exitus

exitus est per uiam, siue per locum indebitum, quia non factus fuit ille locus, ut rumperentur uenæ illæ, à natura, ut exiret melancholicus sanguis, secundum uero qualitatem, quantitatem, substantiam potest esse naturalis ille exitus, sic etiam dicendum est de uomitu, & similibus, & hæc satis de excremẽtorum proprietatibus. sciendũ tamẽ est quod quando dicimus excrementa alia esse secundum naturam, alia uero præter naturam, quæ sunt præter naturam, habent illas quinque conditiones, non est ita simpliciter proferendum, si uolumus recte iudicare: sed oportet considerare corpus, circa quod uersamur, quoniam tot sunt sanitates, quot sunt indiuidua, & tot sunt sanitatis gradus, igitur si recte uolumus facere iuditium, oportet considerare subiecta, & quales sunt operationes subiecti, talis est sanitas, quoniam sanitas terminatur ab operationibus, & secundum diuersitatem, sanitatum, diuersa fiunt excrementa similiter aer, regio, tempus anni, temperatura, ars; omnia ista faciunt mutare excrementa, & ista uniuersalia considerantur ab artifice, quia artificis est uniuersalia considerare, experientiæ uero particularia, & ideo omnis artifex debet habere duo, methodum & experientiam, methodus accipitur in scholis à præceptore, experientia in hoc, aut in illo indiuiduo, ut si uelimus cogitare, quomodo dignoscantur excrementa, quæ scilicet debeant esse bona in substantia, quantitate, qualitate, est una methodus uniuersalis, ad quam confugimus, quoniam omnia ad ipsam reducuntur, & contẽplando ipsam, uenimus ad cognitionẽ particularium,

particularium, & ita philosophiæ naturali est subalterna medicina uera subalternatione, ut inquit philosophus; ubi enim incipit medicus, ibi desinit philosophus. Scimus enim illas quatuor qualitates, calidum, frigidum, humidum, siccum corpora nostra immutare, calidi enim est calefacere, frigidi frigefacere, humidi humectare, sicci siccare. omnia ab istis quatuor qualitatibus immutantur, si enim mutantur corpora, aut mutantur à causa intrinseca, aut extrinseca si intrinseca, aut à temperatura, aut à mala compositione, aut à soluta unitate ex istis enim proueniunt malæ operationes, ex malis operationibus mala excrementa, præterea si in instrumento fuerit læsio, sequetur mala operatio, & sic malum excrementum, quoniam operationes sequuntur temperaturam membri, aut instrumenti: præterea ætas plurimum immutat excrementum, ut si occurramus alicui seni, diuersa sunt illius excrementa ab excrementis puerorum, quia puer cum sit calidus & humidus, habet excrementa humidiora, & in maiori quantitate, in sene pauca & sicciora et dura, cum ille sit frigidus & siccus, quia frigidi est infrigidare, sicci siccare, humidi humectare, calidi relaxare, & ita humidiora & in maiori quantitate erunt excrementa in puero, quàm in sene; deinde bene concoquit & excretio sequitur concoctionem, ideo puer citius excernit, quoniam citius concoquit, homo uero 25. annorum, quoniam tendit magis ad siccitatem, feces diutius retinet, ideo ratione ætatis longe differunt excrementa. idem dicamus de temperaturis, & ad ætatem reducamus temperaturã, ut secundo

cundo

cundo aph. 20. calidam & humidam ad pueritiam, calidam & siccam ad iuuentutem, frigidam & humidam ad senectutem, frigidam & siccam ad decrepitam senectutem. Præterea debemus considerare regionem, tempus, anni, constitutionem excercitia, & artes, et consimilia; ex istis enim uariantur excrementa, et ideo ista sunt diligenter consideranda, nos enim sumus speculatores fecum considerandа est etiam natura hominis, circa quantitatem, qualitatem, substantiam, horam excretionis & instrumenta: primo circa substantiam, quando dicimus, quòd feces debent esse tales in substantia, intelligimus habita ratione & consideratione omnium istarum rerum, quas diximus, quoniam ab ipsis feces immutantur; ne igitur erremus in indiuiduo, oportet recte ista omnia considerare, & erunt tanquam uniuersales regulæ. Medicina enim datur per methodum, non per præcepta, quoniam sine methodo non potest acquiri ars, & non oportet dicere, dicit hoc Auicenna in suis canonibus quemadmodum dicunt medici nostri temporis, qui non intelligunt Auicennam, iste homo docet artem per methodum compositiuam, & non per canones & præcepta, ut dicunt illi; his nostris commentationibus & discursibus consentit Hypp. secundo Progno. quando inquit, concoctio laudabilis. cetera nota sunt, quæ sequuntur, hoc enim loco admonet, ad cognoscenda ista excrementa oportere habere instrumenta, & ideo dat Hypp. duas intentiones, primo quantum ad substantiam, quòd debet esse constans excrementum, secundo quo ad qualitatem, quòd debet esse leue, & per

ista

ista duo dat intelligere omnes alias. Scimus enim q, nos supradiximus hos esse fontes signorum, primus est ab actione, secundus ab excrementis, tertius ab accidentibus, de istis omnibus à nobis superius dictum est, & diffusius dicemus alias. In hoc loco incipit Hipp. declarare secundū fontem excremētorum, quoniam de primo dixit in primo lib. & uersatur circa tria, primo circa egestiones, secundo circa sputum, tertio circa urinam, incipit primum ab egestionibus tanquam à nobis magis notis, & etiam magis secundum naturam, quoniam naturalia sunt nobis magis nota. Diximus igitur excrementum ad hoc, quòd sit naturale, quinque requirere conditiones, incipit à deiectione, & dicit, si deiectio est secundum naturam duo requiret scilicet quòd sit mollis & constans, per mollem intelligit qualitatem, & distinguit à duro, quia durum non est secundum naturam, per constans intelligit, quod sit coniunctum, & continuatum, quòd in ipso non sint conuulsiones, nam si essent in illo, esset malum. dicit ista duo tantum requiri, non quod non requirantur aliæ partes supradictæ: sed per ista duo dedit intelligere alias conditiones, per lene intelligit qualitatem distinctam ab aspero. Gal. autem hac in parte uidetur superfluus, quoniam dixit quod sit etiam unitum, quod idem est, quod lene, quoniam si est unitum, oportet illud esse lene: sed possemus dicere, quòd Galenus non solum intelligit per hoc de superficie: sed etiam de omnibus alijs partibus, & ideo dixit lene, & unitum, et si fœtent hæc ad substantiam attinent, si bona erit concoctio, non fœtet: sed si mala plurimum fœtent, & tandem

omnia

omnia reducuntur ad hæc duo, ut patet recte iudicanti, quæ ſcribit Galenus in primo de Criſibus capit. 2. ratio eſt, quia cibaria non ſunt immutata, prima autem concoctio fit in uentriculo ſi ergo ibi aderunt omnia requiſita ad bonam concoctionem, fiet concoctio æqualis, & ſi æqualis, neceſſe eſt ut excrementum ſit æquale, & habeat lenitatem per totum & mollitiem. Et ſi excrementa non erunt lenia & æqualia, iudicandum eſt, concoctionem non fuiſſe bonam. præterea ad concoctionem bonam, ſequuntur bonæ operationes, & conſequenter corpus illud ſanum, & addit Galenus alteram conditionem, & dicit, quòd ſi quis perſeuerauerit in ſuis excretionibus ordinatè erunt omnino operationes ſanæ, quoniam ordo eſt, ita annexus naturæ, ut aliqui dixerint ordinem eſſe naturam ipſam, ſi uero non ſeruetur ordo, ſignum erit alicuius malæ affectionis, aut in ipſa materia, aut in ipſo inſtrumento ſit aliquid præter naturam, ſi excretiones accelerabunt, ſignum erit quòd uitium eſt in retentiua, quæ non poteſt retinere, quoniam egeruntur fęces non ſeruato ordine extra tempus, & non eſt uitium in expultrice facultate, aut potentia, ut aliqui uoluerunt, ſed in retentiua, quæ debilis eſt, & non poteſt retinere, ideo permittit exire: ſi autem plus iuſto retinebuntur, ſignum erit quòd expulſiua non poteſt expellere ob aliquam iniuriam debilitata. Proſequitur Hippoc. loco citato, & ponit aliam limitationem ſcilicet quantitatem, & oportet maxime animaduertere in hoc, quoniam ſecūdum quantitatem cibariorū augetur, & di=

et diminuitur etiam quantitas excrementorum, ideo opor tet conſiderare cibaria, quibus ueſcimur, & ubi ipſum ex crementum ſuperauerit quantitatem cibi, tunc illa quan= titas erit præter naturam, & uitium erit in uirtute re= tentiua, quæ debilis eſt, & læſa, ſi uero non erit debita quantitas pro ratione aſſumpti cibi, tunc uitium erit in expulſiua facultate, quæ debilitata non poteſt fungi ſuo munere, & hoc etiam malum ſignum eſt per uiam cauſæ, quoniam feces illæ ſic retentæ producunt quinque diuer ſa incommoda, ideo manifeſte apparet, quòd quando fæ= ces expelluntur ſecundum naturam, ſemper bonum eſt ſi gnum, ac ſemper iudicandum erit uentrem inferiorem ſe habere recte, quia ab ipſo optimæ proueniunt operatio= nes, & dixit Hypp. uentrem inferiorem, & intellexit il= lud, quod per ipſum mittetur. Hactenus declarauimus quid ſentiat Hypp. reſtat, ut nonnulla huiuſmodi declare mus in commento, ubi dicitur, quòd excrementa indicant de illo membro cuius ſunt excrementa.

Quia ſi uitium eſſet in hepate, liquidiores ac rubicun diores eſſent fæces, ſi in liene, nigriores, ſi in uenis meſe= raicis, aut in alijs uenis uicinis, immutarentur, & non ha berent illas quinque conditiones dictas, cum non immu= tantur, ſignum eſt quòd uenter & omnia membra adia= centia ſunt ſana, ſi uero fæces fuerint immutatæ, & quòd deficiat una conditio, non propter hoc dicendum eſt, uen trem læſum eſſe, neque membra adiacentia, & hoc poteſt eſſe ratione exercitij, uel caliditatis aeris, poſſunt tamen adiacentia membra eſſe in cauſa, & tamen uenter erit ſanus,

ſanus,ut ex caliditate renum hepatis,erunt mutata in ſubſtantia,ut quando egeruntur ſcybala, tum aderit caliditas renum,quando uero aduſta,tum uehemens erit in hepate caliditas ſi uero in illo fuerit imbecillitas, tum liquida fiunt.mutantur etiam in qualitate ueluti in colore, & odore & tamen non erit aliquod uitium in uentriculo,ut apparebit infra.Et ſic conſtat q, mutantur feces in colore,in qualitate,& ſubſtantia ab ipſis adiacentibus membris,uel quandoq; abſque eo , q, in illis ſit uitium.& hæc ſunt maxime conſideranda,quia conducunt ad opus. Hactenus oſtendimus Hipp. nobiſcum ſentire non ſolum de bonis excrementis,ſed etiam de malis , quæ uocat liquida in loco citato,& ut id ipſum planum fiat , hoc ordine ac methodo procedemus : primo ponemus omnes cauſas, à quibus huiuſmodi excrementa cauſantur, ſimulq; ipſas diuidemus:ſecundo ſententiam Hipp.exponemus: tertio ſigna diſtinguentia ponemus. primo quantum pertinet ad liquidas deiectiones , dico q, deiectiones liquidæ poſſunt fieri à multis cauſis,ubi oportet optime conſiderare , an ipſæ fiant uel uitio ipſius uentriculi , uel aliorum membrorum,ſi uitio uentriculi, uel actiones ipſius erunt læſæ,uel diminutæ,uel ablatæ,uel uitium erit in concoctione,ſi in concoctione,uel in uirtute retentiua,uel expulſiua , ut patet per Galenum in 2.de cauſis ſympt.ſi uitium fuerit in facultate expultrice,quæ expellit, quod non debet expellere,uitium etiam uocabitur in concoctione , & erit ita,ut cum uentriculus non concoquit,& exit à uentriculo cibus , qui ſit incoctus , tunc ſequitur affectus ille

lienteria à Græcis sic dictus, quem nostri Latini intestinorum leuitatem appellant, uel iste chylus non ex toto expelletur, concoquitur quidem, sed diminute, tunc exit semicoctus, & ita quando egestio tali apparet, appellatur fluxus chylosus, quoniam chylus semicoctus exit, & formam chyli, qui est in uentriculo, similem uidetur habere, uel actio uentriculi est corrupta, & ubi corrumpitur, non dicimus propter hoc uirtutem ipsam ablatam esse, quoniam concoquit quidem, sed corrupte & facit chylum, qui est in uentriculo uitiosum liquidum & corruptum propter suam corruptionem & uitiositatem. expellitur postea à natura & fluxus iste appellatur stomachicus, si uero uitium est in uirtute retentiua, fiunt aliæ fluxionum speties, quæ inuicem distinguuntur penes sua signa, prout uarias & diuersas habent causas efficientes. & ad hoc, ut uirtus uentriculi dicatur esse sana duo requiruntur: primo, ut retineat quantum oportet: secundo ut retineat quandiu oportet, ita etiam potest esse læsa dupliciter, uel quòd non retineat quantum oportet, quoniam licet uentriculus complectatur cibum & cibus sit paucus, tamen datur uacuum inter cibum & uentriculum complectentem, & sic cibus aut non concoquitur, aut si concoquitur male concoquitur, aut cibus erit multus, & plusquàm conueniat, & tunc uentriculus non potest amplecti ipsum cibum, & retinere uide emittitur inconcoctus, & istud est, quoniam uirtus retentiua non retinet, quandiu oportet. quomodo autem nominentur isti affectus. caremus nominibus, nisi appel-

appellemus per similitudinem cum primis, & hæc satis dicta sint de uitio ipsius uentriculi. Dicebamus in prima nostra diuisione, quòd egestiones liquidæ fiebant, aut ratione ipsius uentriculi affecti, aut membrorum adiacentium. aut quia uitium est, in uenis meseraicis, quæ uel erunt ita refrigeratæ, quòd non poßint attrahere cibum et sic cibus remanet in uentriculo inconcoctus, qui deinde liquidus egeritur, uel huiusmodi uenæ erunt obstructæ, quia sint in ipsis humores crudi, qui ipsas obstruant, & hoc modo sic obstructæ, non possunt attrahere cibum, & sic remanet inconcoctus in uentriculo, & fiunt feces liquidæ. uel uitium est in hepate, & si in hepate uel propter temperaturam eius, ita quod sit uel nimis calefactum, uel frigefactum uel propter apostema in ipso consistens, ita ut non poßit ipsum hepar attrahere à uentriculo, nam ipsum hepar primo attrahit à uenis meseraicis, illæ uero attrahunt ab ipso uentriculo. contingit autem quandoque quòd hepar non potest attrahere ab ipsis uenis meseraicis, & sic egeruntur illa omnia liquida. aut est uitio lienis, quia non attrahit succum melancholicum, uel ratione alicuius alterius membri, ut capitis, ueluti ex catarrho descendente, & hic fluxus, qui catarrhus appellatur, uel est ratione partis uel totius, & hoc dupliciter, uel criticè, uel symptomaticè, hoc accidit, quoniam omnia mēbra sunt imbecilla, quæ transmittunt supflua ad intestina, & iste fluxus diarrhæa appellatur, aut critice, quando natura intendit crisim p intestina, & transmittit illuc materiā totā, quæ postea expellitur, et iste fluxus bonus

est, & laudabilis, & sic omnes deiectiones liquidæ malæ sunt, nisi illæ, quæ per uiam crisis à natura intenduntur. Et quando dicit Hippocr. deiectio madens est bona, intelligit de illa, quæ fit à natura per uiam crisis. igitur bonæ erunt deiectiones, si habebunt tres conditiones dictas superius, sed ut clarior, necnon amplior euadat doctrina, uolo manifestare quæ nam sint causæ huiusmodi stridorem facientes, sed prius uidendum est, quid nam sit

Stridor stridor iste, pro quo notandum est, q. stridor nihil aliud est, nisi quidam sonus uentris, causæ autem sonitus in uniuersum sunt tres uel enim fit ratione instrumentorum, uel ratione spiritus instantis, uel ratione uacui, & eadem prorsus ratione est in corpore nostro, sicut est in tibijs,

1 nam ratione instrumenti in tibijs gracilibus, redditur sonus gracilis, quem uulgus uocat cantum, & hoc accidit, quoniam instrumentum est gracile, si autem fit in magnis sonitus ut in illo, qui dicitur Bassus, tunc sonus redditur magnus & horridus, sic etiam fit in corpore nostro, in intestinis gracilibus redditur sonus gracilis & acutus, quòd si fit in craßis sonus ac stridor redditur magnus & horridus, uel stridor ipse erit ratio-

2 ne ipsius spiritus, ut in tibia, si parui emittuntur spiritus, parui etiam redduntur soni, si magni, magni redduntur, sic etiam in corpore, si parui spiritus erunt sonos canentes, parui quoque erunt sonitus; si magni, contrarium

3 euenit; aut erit ratione ipsius uacui, ut fistula in magno uacuo, magnum emittit sonum, in paruo autem paruum. Vt in aqua emittit maiorem sonum, quàm in uino, quod

magis densum est; sic in corpore, si spiritus magnum in ueniat uacuum, maiorem emittit sonum, & stridorem; si paruum, per contrarium perueniet sonus. Et sic habemus, quae nam sint causae stridoris. Quomodo autem generentur huiusmodi flatus stridorem facientes, habemus ab Aristot. secundo meteoro. flatus enim generantur, inquit Aristot. à calore diminuto, scilicet, quando calor non est sufficiens pro concoquenda illa materia, tunc ab ipsa eleuantur uapores, quos ipse calor non potest resoluere, & cum isti uapores non possint resolui, quaerunt exitum, & sic erumpendo, causant illum sonum. Vnde si calor esset tantus, ut posset dominari illis uaporibus, non sentiretur ille sonus: quoniam ipsos resolueret, si autem calor sit multum diminutus, non eleuantur, quia uapores eleuantur, quãdo calor incipit agere in materiam, cum sit ualde diminutus, non agit, & ideo non eleuantur uapores. sed quaenam erit materialis causa istorum uaporum? dico, quòd causa materialis est ipsa materia crassa, uiscida, apta ad eleuationem uaporum, causa efficiens est calor diminutus, qui soluit, & non resoluit, ita, ut eleuentur quidem spiritus, sed non resoluantur; sic autem contingit de calore, quemadmodum contingit in dispositionibus anni ueluti in uere fiunt plurimi uenti, & à terra eleuantur plurimi uapores, qui ob debilitatem caloris ipsius solis non possunt resolui, & ita conuertuntur postmodum in pluuiam; & quare hoc contingat in uere, ratio est, quoniam ab hyeme fuit praeparata materia, quod non contingit in aestate: quia calor po-

tens resoluit illos uapores à terra eleuatos . in autumno non contingit, quia in æstate non fuit præparata materia. idem prorsus in nobis euenit. Ad propositum igitur nostrum redeuntes, dicimus, quòd stridor est sonus quidam proprie sterilis, factus cum quodam fragore, ueluti fistulæ, cum non sunt bene confectæ, habent quendam sonum sterilem & tenuem cum quodam fragore, & iste sonus fit in intestinis tenuioribus; differt à murmurio, quoniam murmurium est sonus grauis cum fragore, & istud fit in intestinis craßis. & ita habemus, quòd locus stridoris est in intestinis gracilibus, murmurium uerò in craßis. ex his possumus iudicare, quo in loco sint uapores inclusi. Hoc supposito, uideamus nunc, unde est, & quænam sit causa, quòd aliquis egerit sæpe, & parum. Hoc uel est uitio intestinorum, uel uirtutis contentiuæ, si uitio intestinorum (quandoque enim contingit, ut intestina sint ita debilia, uel ulcerata, uel abrasa, uel excoriata, uel quoties priuantur humiditate sibi instituta à natura, & ubi habent humida excrementa) tunc fiunt sæpe excretiones, & quia ibi non est materia multa contenta, fiunt excretiones paruæ, & quia non possunt detineri, necesse est, ut excernantur. uel hoc fit uitio uirtutis contentiuæ, quoniam ubi retentiua debilis est, & non retinet, expulsiua expellit & fit huiusmodi excretio sæpe, quia retentiua intestinorum non potest retinere, fit egestio pauca ob paucitatem materiæ. potest etiam esse ratione diuersitatis materiæ, ut si humores acidi concurrunt ad intestina, tunc stimulant

uir=

uirtutem expulsiuam ipsorum intestinorum ad expulsionem, & ita sæpe expellunt, quia sæpe concurrunt isti humores: expellunt etiam parum, quia pauci adueniunt. Et istæ sunt causæ, quare feces sæpe, & parum excernuntur. Restat declarandum tertium scilicet cur feces excernantur sæpe, ac multum. In hoc autem non multum immorabor, quoniam eædem concurrunt causæ, uel enim sunt intestina, quæ non possunt continere, uel humorum acrimonia, quæ continuæ stimulat ad expulsionem, & ita sæpe exeunt feces; & quia materia, quæ concurrit ad intestina, multa est, quoniam humores existentes in uentriculo multi sunt, ideo etiam excrementa multa fiunt. Et ita habemus causas excrementorum præternaturalium de sententia Hippocratis, & ut præternaturalia semper sunt mala, sic opposito modo se habentia, erunt bona primo enim ad hoc, quòd bona sint, oportet, ut excrementa sine stridore & murmure, nec sæpe & parum, nec sæpe & multum egerantur. Ita bona erit illa excretio, in qua multum egeritur, sed non sæpe, & q̃ huiusmodi egestio sequatur sine dolore, & quòd æger bene toleret, & ad hanc sequitur semper sanitas, quoniam si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, dicebat Hippocrates. uidemus ergò quod incommoda proficiscantur ex hoc; nam ubi quis sæpe & parum egerit, si humor est in corpore ipsum aggrauans (quod accidit ex continua motione) subsequuntur uigiliæ & uirtutis debilitas: si sæpe, & multũ, statim prosternitur uirtus, & hoc pessimum est. Restat, ut de

ſignis agamus, poſtquàm de cauſis fluxus liquidi fuit di=
ctum. Sed ut antecedentia nectantur conſequentibus, ſum
matim quædam repetemus quoniam, ut dicebat Galen. in
primo de criſibus, utilia repetere operæpretium eſt ſæ=
pius. Inuenimus cauſas omnes excrementorum, quæ per
aluum ſunt reddita liquida, & ſcopus noſter, & finis eſt
ut per ſigna deueniamus in cognitionem cauſæ, quæ po=
ſtea nobis præbet uiam, & methodum curandi. Per ſigna
igitur deuenimus in cognitionem cauſarum. Cauſæ au=
tem indicant quid ſit agendum. Et cum dicturi ſumus de
ſignis, oportet referre ipſa ad ſuas cauſas, quoniam re=
latiua ſunt ſigna ad ſuum ſignatum, ſignatum enim eſt, ſi
gnati ſignum, & cauſa cauſati cauſa. Neceſſarium ergo
eſt, ut intelligamus cauſas, quas deinde collectas applica=
bimus ſuis ſignis. Diximus itaque excretionem liqui=
dam ita diſtingui neceſſario. Excretiones liquidæ fiunt,
uel à cauſa extrinſeca, uel intrinſeca, ſi ab extrinſeca, uel
fiunt ab aere (aer enim poteſt eſſe in cauſa earum) uel à
cibo, & potu, uel à ſomno, & uigilia, uel tandem ab om=
nibus cauſis iſtis non naturalibus, quæ referuntur à Ga=
leno, quæ poſſunt corpus noſtrum inmutare. v. g. ex ae=
1 re ubi aer nimis humidus eſt, relaxat corpora, ubi plu=
rimum, ſubſequuntur inconcoctiones, ex quibus fiunt de=
2 iectiones liquidæ, uel ex aere nimis frigido, Scimus e=
3 nim quòd à frigiditate fiunt inconcoctiones: uel ex ae=
re nimis calido: nam ſic caliditas aeris agens in caliditatē
uentriculi, corrumpit cibum, poſtea fiunt excrementa li=
4 quidiora, à cibo & potu, quando peccat ſiue quantitate,
ſiue

ſiue qualitate, excernuntur poſtea liquida. Idem dicendũ de omnibus aliis cauſis corpus noſtrum alterantibus, quæ quidem cauſæ à Græcis προκαταρκτικαὶ, à Latinis uero primitiuæ dicuntur. Aut hoc fit ab intrinſecis cauſis quæ à Græcis dicuntur προηγούμεναι, à Latinis antecedentes communiter appellantur. iſtæ cauſæ aut ſunt in uentriculo, aut in partibus, quæ habent aliquam cum uentriculo adiacentiam, ut in hepate, aut in meſeraicis, aut in liene. Nam in iſtis talis ordo inſitus eſt à natura, ut dixi. primo hepar trahit à uenis meſeraicis, illæ uerò uenæ trahunt à uentriculo: Et ſic habẽt mercaturam inter ſe, & communicantiam, et ubi unum iſtorum labefiat, alterum patiatur: & non ſolum ratione uicinitatis patiuntur iſta membra, uerum etiam ratione communicantiæ actionis inter ſe, ita etiam ſi patitur ſplen: nam ſplen etiã habet adiacentiam cum hepate, quoniam trahit ab ipſo humorem melancholicum: communicat etiam in actione cum ipſo uentriculo. igitur ubi unum iſtorum eſt affectum, afficitur etiam & reliquum & ſic ratione iſtorum feces, quæ emittũtur ꝑ aluũ, liquidæ gerunt. Vitiũ igitur erit uel in partibus adiacentibus, uel longinquis: per partes longinquas intelligit eas partes, quæ ſi læſæ fuerint, nocumentum etiam ipſi uentriculo adferunt, & ab illo nocumento illato poſſunt feces excerni liquidæ, uel quòd uitium æqualiter prouenit ab ipſo toto corpore, & hoc fit duobus modis uel critice, uel ſymptomatice, & nullo modo feces erunt liquidæ bonæ, niſi illæ, quæ critice egeruntur quoniã illæ proprie intẽduntur à natura, hæc omnia

Cauſæ aut antecedentes

Nb

dicta fuere à nobis superiori loco. Vt deueniamus ad particularia, si erit uitio membri particularis uel erit ratione instrumenti, uel ratione uirtutis, uel humorum ibi collectorum in ipso membro, operationes occupantium, licet essentialiter in ipso non sint, tamen eius operationes occupant. Incipiamus à uentriculo, & ut bene assequamur ea, quæ dicentur, eum ordinem tenebimus, quem Auic. in. 16. tertij cap. 1. &. 2. tenet. Dico igitur eodem modo, quo fecerunt antiqui, et ista est distinctio causarum. Si uentriculus patitur, & ab eo egestiones liquidæ fiunt, hoc potest esse aut ob uitium temperaturæ, aut compositionis, aut solutionis continui: si est uitio temperaturæ, tunc uentriculus non est amplius in propria natura, sed est factus uel calidior, uel frigidior, uel humidior, uel siccior. Vbi hoc habuerimus, opus est scire, qui nam affectus proueniant ex primis quatuor qualitatibus, ideo si uolumus esse boni Medici, oportet, ut habeamus præ manibus secundum illum Aristo. Meteo. in quo fusißime & sufficienter ista omnia pertractantur. Nam frigidi per se est corrumpere, per accidens autem retinere ipsum calorem ac adiuuare ad ipsam concentractionem: et cum effectus frigiditatis sit talis; ergo cum erit frigiditas in uentriculo, corrumpetur eius caliditas naturalis: & usque adeo patitur sua caliditas complexionalis, ut ita lædi poßit uentriculus, ne amplius concoquat, aut si concoquat, diminute, aut corrupte concoquat: si diminute concoquit, excernuntur feces semicoctæ, & iste fluxus appellatur chylosus, quoniam habet quandam cum chylo similitudinem; si uero

ablate concoquat (quomodo autem dicatur ablate concoquere, diximus) tunc iste fluxus appellatur lientericus: si autem caliditas extrinseca aderit uehemens, et magna ita, ut corrumpatur actio ipsius uenticuli, hic uentriculus corrupte cōcoquit, & fit fluxus, qui stomachicus appellatur. Et ideo inferamus, quòd febris nihil aliud sit, quàm calor corruptus, siue igneus: & à nulla alia causa prouenit ista corruptio, nisi à calore extrinseco agente in ipsum humidum radicale, & ille calor æqualiter accendit, & inflammat ipsam; & ubi factus est ita igneus, putrefacit, aut quòd alterat unam partem, & putrefacit alteram; sed calor naturalis non putrefacit, & alterat unam partem, & alteram derelinquit, sed æqualiter concoquit, ubi alteratur putrefactus cibus in uentriculo, tunc insurgit uirtus ad expellendum hoc, quod est præter naturam, & sic hoc modo feces excernuntur liquidæ, siccitas non facit egestiones liquidas, nisi fuerit in summo, ut patet in tabidis, qui sunt prope mortem: ubi siccitas est tā ualida, quòd feces fiunt liquidæ eò, quòd uentriculus non potest retinere, & sic relaxat. Ideo ut fiat optima, & perfecta concoctio, non oportet, ut substantia uentriculi nimis sit nec humida, nec exiccata nimis, quia cibus ab ipso uentriculo non bene complecteretur, & cum non bene complecteretur cibus ille, non posset concoqui, ut est sententia Galeni in 5. de causis symptomat. et in lib. de facult. naturali. cum ergo uentriculus non concoquat, excernuntur tunc feces liquidæ. Et (ut id obiter obseruemus) non quælibet siccitas potest esse in causa egestionū liquidarum,

darum, sed illa, quæ nitrosa est, uel humiditas erit in causa dyscrasia ipsius uentriculi; & hoc facillime potest accidere eò, quòd humiditas relaxat, & relaxando facillime feces possunt liquidæ exire. Et sic habemus, quomodo qualitates simplices possunt hoc facere, lædendo temperaturam ipsius uentriculi, & ne conteramus tempus, quod dico de simplicibus, dicendum est etiam de cōpositis. quando autem erunt compositæ, effectus quoque erunt compositi uel de calido & humido, uel calido & sicco, uel frigido & humido, uel frigido & sicco, hæc satis dicta sint de uitio in temperatura. Vel erit hoc uitio compositionis, in compositione autem potest esse uitium. primo potest esse humor ipsum uentriculum obstruens, ut ipse uentriculus non poßit constringi, & amplecti cibum, & eius calor obtunditur, uel erit abscessus, uel scirrus, uel erit gracilitas, quæ exponit ipsum omni iniuriæ, quæ omnia sunt uitia in compositione. Vel erit uitium in solutione unitatis, ueluti si ulceretur uētriculus, & propter illa ulcera uentriculus non potest tolerare, neque aliquid retinere, & repellit, sicq; egestiones liquidæ exeunt. Et sic habemus omnes causas egestionum liquidarum. & quod dixi de uētriculo, dicamus de omnibus membris adiacentibus, ut de hepate, uenis meseraicis, splene, abdomine, et reliquis. possunt etiam attribui istæ limitationes, quas uentriculo dedimus, longinquis membris. Membra igitur longinqua possunt esse in causa, ut si ad illa membra confluant humores, apti ad causandas egestiones liquidas, qui postmodum humores ibi aggregati transmittuntur ad intestina causant

ſant illas feces liquidas. Et hoc erit uniuerſale in omnibus membris, uel in illo membro, in quo aggregata fuit illa humorum copia. hoc fit aut ob eius uitiatam temperaturam, aut compoſitionem, aut ſolutionem unitatis, & hoc poteſt eſſe tum priuatiue, tum poſitiue.. quomodo autem accidat poſitiue, declaro, & dico, quòd exempli gratia manus abſciſſa poteſt eſſe cauſa liquidarum excretionum: ratio eſt, quia nutrimentum, quod accedebat ad manum, nũc tranſmittitur ad inteſtina, et ab illo nutrimento feces poſſunt fieri liquidæ: uel igitur ratione alicuius iſtorum, uel omnium, ita ut uitium à toto proueniat. Et ego diſtinxi de duplici fluxu, de critico & ſymptomatico, fluxus criticus inuentus eſt à natura, quoniam natura per illum fluxum euacuat humores corpori noxam inferentes: & iſtæ fluxus optimus, & laudabilis eſt, ſi autem ſymptomaticus erit, tunc erit præter naturam, quia cauſabitur aut à mala complexione totius, aut compoſitione, aut ſolutione continui, aut ab omnibus ſimul, & iſtud diſtinguemus per ſua ſigna. Et ex dictis cauſis poſſumus diſtinguere ſigna, quomodo autem diſtinguãtur ſigna, nunc dicam. Itaque ſigna debent habere duas conditiones, primo, ut participent aliquo ſenſu, aut per uiſum, aut auditum, aut tactum, aut guſtum, aut olfactum, ſecunda conditio, quæ magis neceſſaria eſt, ut inter illud ſignum, à quo procedimus in cognitionem ſignati, & rem ſignatam ſint aliqua nota media, ut in ſyllogiſmo, ſi uolumus demõſtrare aliquã paſſionem ineſſe ſubiecto, oportet quòd ſit medium, quod cõmunicet cum utroque extremo, per quod medium ſyllogi-

logizando deuenimus in cognitionem huius uel illius passionis quòd huic uel illi subiecto insit: sic etiam in istis signis debet esse aliqua nota, per quam deducamur à signo in cognitionem rei signatæ. & iste appellabitur ἀναλόγισμος. Vt cum apparent fęces liquidæ cum stridore, attendit Medicus illum stridorem, qui est unum signum, sed si non habeatur aliqua nota media, quæ deducat illum ad signatum, nihil cognoscet medicus. Et ideo semper potest ab essentia rei procedere, & sic ab ea scire, quid sit stridor, & hoc apparuit superius. s. quòd est strepitus à spiritu, qui quærit erumpere, & ex ista diffinitione apparet flatum causari à calore diminuto: notum est enim quomodo calor diminutus causat in corpore superfluitates. Et sic iste stridor erit signum, si nouerimus omnia ista, quæ diximus & si uolumus scire cognitionem signorum, oportet rei naturam cognoscere ut hic adest stridor, ergo etiam debilitas uirtutis concoquentis, probatur, quoniam adest calor diminutus, quoniam à diminuto calore fit stridor, & sic istud erit optimum medium & signum pro cognitione ipsius causæ, & nisi nos habuissemus medium hoc, non cognouissemus ea, quæ cognouimus; & sic si habebimus rei naturam, non possumus falli; apparet ergo quæ sint necessaria ad signa. Et diximus, quòd uentriculus potest esse in causa fluxionis liquidæ, cum uirtus ipsius sit debilis, aut aliquis humor detineatur. Et quando erunt egestiones liquidæ uitio uentriculi, signum est, quòd si ibi adsit frigiditas intensa, erunt fęces non fœtidæ decoloratæ, & si nõ erit ita intensa frigiditas erunt cum stridore.

Et

Et sic secundum quòd habebunt de ipsa frigiditate, uariabuntur, & si erunt fęces sine fœtore cum stridore, apparebit aliquid incoctum; quoniam possunt uariari ad uariationem frigiditatis: & quia frigiditas potest esse pauca, & multa, ideo secundum eius in hoc uariationem, uariabuntur signa, nec non & fęces. si autem in causa fuerit caliditas constat, quòd ubi calor erit in causa, fęces erunt uarijs et diuersis coloratæ coloribus: calor enim adurit, adustio autem colorem causat. necesse igitur est, ut illi humores adusti colorati exeant, et erunt ut plurimum uirides, aut nigri, aut tendentes ad aliquam fuscedinem, necnon et humores isti siue fęces (ut rectius dic) erunt fœtidæ, ac in ipsis aderit semper aliquid pingue supernatãs. Et hoc modo cognoscemus fęces liquidas à caliditate causatas. Si uero hoc contingat ratione nimiæ humiditatis percipiemus ex hoc ipso, quia humidiores erunt, & ab omni penitus denudatæ concoctione. ratio est in promptu, quoniam (ut planum est) humidi est relaxare, & ideo humiditas ista facit relaxationem in uentriculo. Et sic uentriculus nõ retinebit, quantum oportet, & istæ fęces exibunt inconcoctæ, & erunt ualde similes illis, quæ sunt à causa frigida, ideo ut poßimus inter has distinguere, oportet quærere ab ægro an in exitu strideant, an perpessus fuerit frigiditatẽ. Et hoc modo ipsas recte distinguemus. si uero fuerit hoc à siccitate tunc strident, quoniam non à quacunq; siccitate hoc accidit, sed ab intẽsißima, ut manifestum est in tabe, & maximè in fine, si autem in complexione fuerit uitium cognoscetur & distinguetur eo, quia uel humiditas

Calid. vi.

humid.

Sicci.

Signa a uitio uentriculi cum materia

tas illa fuerit inserta in tunicis ipsius uentriculi, quia qui habent talem humorem, insertum, habent nauseam perpetuam, & ante cibum peius se habent. qui uerò humiditatem in uentriculo habent, semper & cõtinue expuunt, et ante cibum melius se habent. si uero in causa liquidarũ fecum fuerit mala compositio, ut propter apostema, & consimilia cognoscemus facile per ructum si autem fuerit propter solutionem continui, manifestabitur nobis, quando comedit tunc enim patiens sentit maximum nocumentum. Ex his omnibus modis possunt fieri feces liquidæ, possumus distinguere inter instrumentum, & uirtutem uitiatam, quoniam bene uerum est, quòd ubi læsum fuerit instrumentum læsa etiam erit uirtus, sed non sequitur modo, quòd ubi læsa uirtus est læsum etiam fit instrumẽtum, hoc non ualet, sed bene ualet, ubi læsum est instrumentum quòd etiam læsa sit uirtus, ut si quis habeat optimam uentriculi temperaturam, & si ipse concubuit cum muliere, aut aliquid tale fecerit, propter quod inaniti sint spiritus, in hoc non est uitium, nisi in uirtute, & non in membro essentiali; sed bene erit in uirtute, quoniã spiritus illi sunt exinaniti, & quia non erit forsan ingratum addere nonnulla, ut habeamus ipsas causas, ad memoriam reuocemus ea, quæ superius dicta sunt. Dico igitur, quod causæ egestionum liquidarum possunt prouenire, uel à uẽtriculo, uel à partibus ipsi adiacentibus. Voco autem partes adiacentes non solum eas, quæ uicinitatem habet cum ipso uentriculo, uerum etiam illas, quæ in actione cum illo communitatem habent. Vidimus etiam quòd quando unumquodque

quodque

quodque istorum patitur, patitur etiam reliquum, ut si est uitium in uenis meseraicis cognoscitur primo per tempe raturam malam. Nemini dubium est, quin fiant liquidæ e= gestiones per malam attractionem eo, quia ipsæ uenæ me seraicæ non possunt attrahere ab ipso uētriculo, quoniam sunt infirmæ, & feces erunt similes secundum substan= tiam, & liquorem istis, quæ à uentriculi uitio proueniūt. Distinguemus autem, si considerabimus naturam rei, nam nos uidemus egestiones incoctas non ab alia causa proue nire, nisi quia chylus non attrahitur, & sic egeritur cum fe cibus. Et si erit sanus uentriculus, apparebunt partes li= quidæ, & partes compactæ & concoctæ, & hoc signum erit, q; uentriculus non erit affectus, si hoc erit ratione in tensæ caliditatis, erit fœtor in illis fecibus, & si apparebit uentriculus non affectus, Ergo hoc erit uitio adiacentium membrorum, ergo si erit uitium in temperatura adiacen= tium membrorum, considerabimus utrum illa mala in= temperies fuerit calida, frigida, humida, uel sicca. quod cognoscemus, si cognoscemus effectus calidi, frigidi, hu= midi, & sicci. & similiter, si composita fuerit temperatu= ra, & ideo hortor omnes, qui uolunt esse medici Hippoc. aut Galenici, ut præ manibus habeant lib. meteo. Aristot. nec non & parua illa naturalia; ex his habebimus, quo= modo poßint prouenire egestiones uitio adiacentium membrorum quod quidem difficile est cognoscere quia semper credimus in causa esse ipsum uentriculum. Si erit ratione malæ compositionis, erit rōne obstructionis: percipimus enim grauitatem sensibilem, & tensionem in

ista parte; si uero erit propter solutionem continuitatis, apparebit, ex dolore, & ista dissoluta continuitas uel erit parua uel erit magna; si parua, aderit, tantummodo dolor; si autem magna fuerit, apparebunt quoque ramenta in egestionibus propter maximam exulcerationem. si autem uitium erit in hepate, illud erit uel à calida, uel à frigide temperatura ipsius: differentiam autem cognoscemus à meseraicis, quoniam in egestionibus apparet color, sicuti in lotura carnis, quoniam in hepate fit sanguis, & est ueluti fons, & origo sanguinis, q, si mala eius temperatura frigida fuerunt, signum est, quòd hepar propter eam frigiditatem non potuit concoquere, & perficere suam operationem, incipit quidem & partim concoquit, sed magna adest portio, quam nō potuit alterare, & ideo dimittitur ab ipso hepate in intestina, & sic egeruntur feces habentes colorem loturæ carnis (ut diximus) similem, si uero temperatura fuerit calida, feces erunt sanguinolentæ; sed sanguis ille erit niger, & nigredo illa humidior erit, quàm si esset propter frigiditatem, ac ingentem habebit fœtorem, nigrum (ut dixi) colorem crassum, sed lucidum satis, ac fluxus ille appellatur à nostris modernis hepaticus, & recte quidem, & est ubi uitium existit in solo hepate, & nullus est affectus in uentriculo. Idem de compositis dicendum est, ut si fuerit frigidum, & humidum hepar. si uero mala compositio fuerit, ut si apostema, non apparebit sanguis: quoniam quantum de se hepar optime concoquit, sed non potest attrahere, hoc cognoscitur, quia quando hepar est affectum, præterquam

ꝙ

quòd cognoſcitur per pondus circa ipſum in regione illa, poteſt etiam cognoſci per paßionem concomitantem, & difficultatem anhelitus: & hoc accidit propter illam uenam aſcendentem ad pulmonem, & in hoc non oportet membrorum ſitum ignorare. ſi autem fuerit ſcirrhus, aut inflammatio (raro enim ſequuntur ex in inflammatione egeſtiones liquidæ) apparebunt ſicut lotura carnis. Si uitium fuerit in liene, & quòd fuerit propter malam temperaturam frigidam; feces exibunt nigræ, ſed non feculentæ, ſed ſi propter caliditatem, erunt aduſtæ, ac natura expellit ipſas ad inteſtina, & propter illam malignitatem exulcerant inteſtina, ac grauißimis & peßimis afficiuntur ulceribus à talibus humoribus aduſtis. unde poſtmodum ſubſequuntur & pesſimi & ingentißimi dolores, & dyſecteriæ, & profunda ulcera, & tandem mille alia incommoda. Cognoſcuntur illa ex maximo dolore, & quando uidemus huiuſmodi dolores prouidemus ſtatim, tunc laborantibus talibus inteſtinorum ulceribus. Sed huiuſmodi affectum nunc non eſt propoſitum noſtrum tradere curam, ſed illud non diſſimulabo hæc ulcera tarde, & difficillime ſanari. Si mala temperatura fuerit in abdomine aut calida erit, aut frigida, ſi admodum frigida fuerit, communicat hanc frigiditatem ipſi uentriculo, & hoc modo fiet mala concoctio & feces excernentur inconcoctæ; ſi autem fuerit mala temperatura calida (& hoc raro accidit) oportet, ut illa mala temperatura calida ſit ualde intenſa, & tunc communicat caliditatem ipſi uentriculo,

& feces propter caliditatem illam intensam, egeruntur liquidæ. Possunt etiam feces illæ euenire ex uitio totius & hoc facile est cognoscere ex mala dispositione totius perseuerante. Præterea etiam hoc fieri potest uitio ipsius uẽtriculi nec non etiam capitis. Et istæ duæ excretiones non modo sunt ualde similes, sed etiam inter se distinguuntur: Nam si fuerit uitio uentriculi, apparebit spuma per aliquot dies, sed non perseuerabit, sed si fuerit uitio capitis: semper apparebunt cum spuma, quia continue etiam caput transmittit; & fluxus perseuerat. Et sic iam apparuit, quæ sint causæ egestionum liquidarum eo ordine, quo ego potui. Nunc ostendamus de sententia id esse Hippocr. in illis uerbis 2. lib. progn. Egestio autem laudabilior, &c. Diximus de egestionibus, quæ sint bonæ, & quæ sint malæ, & cum excernuntur sæpe & parum sunt malæ, similiter & quando excernuntur sæpe & multum, sed optimæ, cum excernuntur rarò & multum. Addit Hippocr. quòd oportet etiam habere unum aliud ut sit optimum. Nam dicit, ad hoc, quòd sint bonæ, non debent habere illa incommoda: nunc modo dicit, quas conditiones debeant habere hæ egestiones. Et ista iuditio meo est melior interpretatio, quàm illa Galeni, qui dicit hæc omnia esse superflua, ut est uidere apud ipsum in commento. dico, quòd non sufficeret solum dixisse Hippocr. hoc: (loquebatur enim de egestionibus liquidis per uiam crisis:) ut egerantur hora conuenienti, sed oportet, ut habeant alias conditiones. Et cum non debeant habere conditiones, quas superius posuit, dicit modo, quòd debent

habere istas conditiones, & dicit, quòd debent esse mediæ inter sæpe & parum, & sæpe & multum, & hoc accidit pro ratione cibi assumpti, ut si plurimum egerat, & die bis aut ter, & hoc pro portione cibi ingesti, quoniam natura semper debet expellere feces conuenientes, & hoc erit criticè & secundum quantitatem cibi assumpti. Et sic habeatur ratio & cibi, & fecum egestarum, & hoc etiam erit propter consuetudinem ipsius egerentis, & si Galenus hic accuset Hippocr. uidetur tamen mihi, quòd Hippocr. non sit damnandus: & dicit, quòd debent deuenire paulatim ad corpulentiam successiuam donec deueniant ad debitam consistentiam: quoniam si per se uenient in illam liquiditatem, signum esset, quòd non fieret bona crisis, sed si tenderent semper ad corpulētiam notabilem, erit bonum signum, & hoc semper est intelligendum de fecibus, quæ sunt præter naturam liquidæ. Quando uero subiungit Hippoc. ea uerba, ubi dicit, sit aut color sui ruffus fieri, tunc transit ad qualitatem uirilem, & dicit, quod non debent esse ad modum pallidæ, neque nimis citrinæ siue ruffæ, sed debent esse subruffæ, quæ habent colorē medium: nec etiam debent esse malæ olentes, quoniam si male olerent, significaretur ibi adesse putredinem, & quātò fœtor maior, tantò ibi grauior est putredo. Et dicit Galen. quod Hippoc. debebat addere istas duas conditiones superius: ubi docebat alias conditiones, & hoc mihi non uidetur, quoniam inquit Galen. Hippoc. non debuisse addere propter breuitatem ea, quæ sequuntur, sed superius, quādo dixerat, ꝙ si erunt feces liquidæ, & huiusmodi, non e-

Color

odor

runt bonæ, bonæ autem erunt, si aderit bona concoctio, ex qua concoctione sequuntur necessario hæ conditiones, ex illis etiam sequitur, q; ibi erit color laudabilis, & odor, & non maleolentia: ideo profundissimus Hippocra. non debebat illas superius ponere, nunc uero erat opus eas hic ponere, ideo mihi uidetur, quòd Galen. male accuset Hippocr. quoniam hoc facit artificiosissime; sciendum tamen præterea hic est, q; in qualibet egestione, & ubi febris fuerit, q; ibi adest multa putredo, & ibi erunt uermes & si generantur, optimum est ut expellantur, ut dicit ipse. Et, ut uidemus in febribus pestilentialibus illi, qui euadunt egerunt plurimos uermes uiuos, qui generati sunt: quoniam ibi ad est multa putredo, & in nulla alia febre tanta est putredo, quanta est in pestiferis febribus, in quibus putredo est usq; in corde, in alijs autem in corde adsunt tantum modo uapores putridi.

Sed quia facta est mentio de uermibus, & quoniam de ipsis mentionem facit Hippocrat. eo loco, iniquum esse reputarem, si de ipsorum essentia, & causis non loquerer. Et peccatum esset, si non darem hic obiter curandi methodum. Vt autem ipsorum essentia cognoscatur à natura rei incipiemus. A natura ergo rei incipientes, dicimus, quòd res naturales cognoscuntur per suas causas, ut est sententia philosophi primo phy. cum ergo uermes sint res naturales, cognoscuntur & ipsi per suas causas, ac cognitis causis, cognoscitur statim ipsorum essentia. Vtile igitur erit à causis incipere. Causæ ab Arist. secundo phy. quatuor numerate sunt, materialis,

lis, formalis, efficiens, & finalis, quæ inueniuntur in omnibus rebus naturalibus, quantum ad materialem causam attinet, Galen. & Arist. primo de hist. animal. concordes dicunt esse humores putridos & corruptos in toto uentre, & intestinis, non intelligimus magis de uno, quàm de altero, sed audimus de omnibus simul, ab exteris exemplo sumpto ex musto, nam nos uidemus uermes ex omni humore extrinsecus putrido generari, dummodo putrescat, & hæc fuit sententia illius magni philosophi de histo. animal. nec non ipsius Galen. tertio Aphor. 26. sed bene uerum est, q secundum naturæ diuersitatem, diuersa generantur, ut omnes denique alij ponunt putredinem in humore esse causam materialem ipsorum uermium, & iste humor putrefactus, siue sit in uentre, siue in alijs partibus semper aptus est ad generandum uermes, sicuti in capite, & in ipsa uena Medeni, ut dixit Auicen. deinde ipsemet in alio loco asserit uermes non posse generari ex omni humore, quoniam dicit, quòd nec possunt generari ex sanguine, nec ex bile, nec etiam melancholia, sed ex sola pituita, tamen ipse oblitus erat, quod dixerat de uena Medeni, nihilominus nos uidemus, quod fiunt ex alijs humoribus quàm ex pituita, quoniam uidemus quidam aliquando uomere uermes pilosos, & rubeos, qui indicant materiam calidißimam putrefactam. Ergo cum materia sit altera à pituita possunt fieri uermes ex alijs humoribus putrefactis. ideo præferenda est opinio Aris. & Gal. q scilicet generantur ex omnibus humoribus, hoc etiam maximum signũ est, quod uidemus diuersos generari, q

si esset unus tantum humor, ex quo illi generarentur, semper ijdem tantum generarentur. ideo magis tenendum est cum Aristot. in lib. 4. de histo. animal. 29. cum Gal. tertio Aphor. xxvi. q. scilicet generantur ex omnibus humoribus magis, quàm ex uno. hæc satis sint dicta de causa materiali, causa autem efficiens prima potest esse calor uehemens, requiritur enim uehemens calor, & spiritus. ideo dicit Aristot. quòd uermes generantur à sole, & spiritu, ex sole quidem, q. adiuuet caliditate sua, spiritus autem inclusus in materia causat putredinem, & est instrumentum ipsius caloris & calor est causa efficiens uermium. Et calor ipse non debet esse mitis, sed uehemens, & ideo dicit Aristot. quòd requiritur uehemens calor. Hinc est, quòd in pueris lactentibus non generantur uermes adhuc, quoniam calor, non est adeo uehemens, quousque deueniant ad primum annum, tunc enim habent calorem magnum, comedunt quacunque hora, humores redduntur putridi, ac propter multitudinem, magnitudinem, & mordacitatem, & in iuuenibus sæpißime contingit fieri uermes; in senibus uero sicut etiam in paruulis pueris, non generantur, & si sit in corpore ipsorum materia conueniens; quoniam tamen non habent calorem idoneum, non oriuntur uermes in ipsis. Et sic habemus breuiter causam efficientem ipsorum uermium per me collectam in uarijs et diuersis locis, ac uarijs et diuersis autoribus scriptam, in tribus uerbis redactam. Causa autem formalis uaria est loquimur semper, (ne æquiuocatione decipiamini) de his, quæ sensu percipiuntur nos

enim

enim ſumus artifices ſenſitiui, inquit Gal. ſunt igitur uariæ figuræ uermium, ac tres ſunt omnino differentiæ figurarum, quas ſenſu cognoſcimus in genere, ut ſuo loco dicam. Quantum uero ad cauſam finalem ratione finis intendit natura generare uermes ex illa putri materia, quoniam natura ſemper intendit generationem, & non corruptionem. ideo melius fecit ratione boni uniuerſalis generare uermes quam relinquere ibi materiam putridã ſine uita. Eſt etiam alia ratio, quàm ponit Auic. quia generantur ex ipſa putredine, quæ eſt in mũdo, ac ex ipſa depaſcuntur, & ſic natura inſtituit ipſos ut tollerent illam putredinem, & abſumerent excrementa. At in corpore non eſt eadem ratio, quoniam non tantum abſumunt excrementa, ſed etiam bonam, optimamq; partem: ſed in corpore humano, nulla inuenitur cauſa finalis: quia non ſunt intenti à natura. & urinam eſſent intenti à natura, tunc enim non eſſent morbus, ſi tantummodo tollerent excrementa. Et ſic apparet ex cauſis exquiſita uermium eſſentia adamußim. Quo ad figuram dicimus, quòd tres inueniuntur figuræ, ſiue differentiæ notabiles, primo enim generantur quidam longi, et rotundi, & iſti lumbrici nuncupantur: alij breues & rubei, iſti in recto oriuntur inteſtino prope anum, alij lati, oblongiq;. & uidi in quodã unum iſtorum longum ſex brachia, & menſuraui cum menſura iuſta, & ideo non debet mirum uideri quòd poſſint ita in longum protrahi, ut protrahuntur inteſtina. alij uero, qui longi, & rotundi ſunt, in ſtomacho ut plurimum generantur, & in pueris ſæpe & ſæpius inue-

niuntur, sunt in istis partibus, quoniam ibi fit putredo. Illi uero, qui dicuntur Ascarides, maiori opus habent caliditate, calidioremq; putrescentem ac acriorem materiam obtinent: cuius signum est, quòd generantur in iumentis: & propria est iumentorum paßio hæc. quòd etiam iumenta sint magis calida, manifeste apparet, quia comedunt paleã, ipsamq; digerunt. quòd si homo, qui minus calidus est, eam comederet, absq; dubio non concoquerit illam. Quapropter dicendũ est calidißima esse iumenta, quia in ipsis maxima inuenitur concoctio. quòd etiam ex calidiore generentur materia, apparet, quia semper in iuuenibus, non autem in pueris inueniuntur & insunt discrete, non autem extensiue: quoniam sunt plurimi parui & non longi. sunt & alij, qui uulgo corrupto uocabulo lineæ nuncupantur, ipsi soli longi, & lati, ut dicit Aristo. apti sunt ad generandũ, & ab ipsis generati similes sunt seminibus cucurbitæ, & ideo dicuntur cucurbitini ac sunt imperfecta animalia. multi crediderunt, quòd isti, qui per aluum excernũtur essent illæ, quas tineas uocamus. Distinguuntur autem isti ex materia. nam generantur ex materia uiscosa in intestinis reperta, quæ totam interiorem tunicam intestinorum inducens ueluti ad pituitæ similitudinem, ac quandoque, ac sæpißime ex illa tota materia unus tantum continuus generatur uermis. Et hæ est propria uermium istorum materia, caloremq; causam efficientem esse nullus dubitat. isti inueniuntur in adultis, qui semper comedunt ac continue generant humores crudos in uentriculo, & propter ubertatem materiæ ipsius ibi collectæ oriuntur uermes. ac de

his

his satis, superq; dictum sit. Nunc uero nolo disceptare an morbus in numero, an uero symptoma sit, sed sufficit tantum habere causas: quoniam nostra intentio non est exquisite de uermibus disserere, sed tantummodo per compendium, & per capita de his loqui, ac tradere methodū, qua quisq; poßit omnes causas, & signa curamq; omnium inuenire. Expeditis causis conuenienter, nunc ueniendum est ad signa. Dicamus ergo quomodo poßint cognosci uermes, & etiam illorum species alteram ab altera distingui. quantum ergo ad signa attinet, cognoscentur quemadmodū et alij affectus per tres illos fontes iam sæpißime propositos. primo ab actionibus læsis quæ genere sunt tres, animalis in cerebro, uitalis in corde, naturalis in hepate, & uentriculo. Quo ad animalem ipsam, dicimus, quòd ibi aderunt uermes, si aderunt intensi maligniq; et plures affectus, et læsio apparebit in hac operatione, primo isti sunt obliuiosi, non memorantur, non imaginantur, & non recte discurrunt, sæpißime loquuntur extra propositum, clamant & similia faciunt, ut manifeste apparet in pueris, & ista erunt signa ab interius sumpta. quantum uero ad ipsos sensus exteriores, præterquàm q. redduntur obtusiores, redduntur aliquando muti: nullus ipsorum abit sine læsione, aliquando fiunt Apoplectici, & Epileptici. Epileptici maximū sentiunt dolorē in intestinis propter mordicationem ab ipsis uermibus factam, obtorte intuentur, subuertunt oculos, & totum corpus distendunt. Et hæc sunt signa ab animali uirtute sumpta, à uirtute uero uitali quædam sunt interna, quædā externa:

interna

interna ſunt, iracundia, inconſtantia . iſti euadunt inconſtantes, iracundi, ſed cauſa huius eſt, quoniam ſpiritus immoderate, ac inordinate moti ad cor, reddunt hominē iracundum, & quandoque illi incidunt in febrem ephemerā, & putridam. ab extrinſecis autem, & primo à pulſibus: pulſus fiunt parui, adſtricti, & frequentes uelocesq;, ratio eſt, quoniam uirtus aggrauata, non poteſt facere extenſionem ſuam: et quod non poteſt facere cum extenſione, ſupplet, & facit cum frequentia. quod non poteſt facere in una uice, facit in tribus et ſic pulſus fiunt frequentes, & ueloces; quoniam, quando natura non poteſt ſupplere cum quantitate, ſupplet cum uelocitate; fiunt etiam inæquales. Et hoc pro confeſſo eſt ſemper, & in quocunque caſu, quòd quando natura aggrauatur, tunc pulſus ſemper redduntur inæquales, ſiue ab aliquo humore, ſiue ab aliqua alia re aggrauetur natura, hoc erit perpetuo uerum quòd pulſus erunt ſemper inæquales. Id quod copiosè declarat Gal. in lib. de differētijs pulſuum. Sed hæc ſufficiant pro hac uirtute. Naturalis etiā uirtus læditur; conſtat enim uirtutes naturales eſſe quatuor, concoctiuam, expulſiuam, contentiuam, & aſsimilatiuam. habemus primo, quòd contentiua non retinet quantū oportet, quoniam uermes ſemper attrahunt, & ibi illa non continet, quantum oportet. ſequuntur grauitates, & rugitus, & uaria incommoda; & multum iſti appetunt, ſed multum patiuntur ab humoris multitudine in uentriculo exiſtentis, & ſi contingit, ut appetant canino appetitu, quādoq; nimis, quādoq; parum ſecundum quòd uermes ipſi quandoq;

doq; nimis quandoq; parum appetunt, & attrahunt: similiter (ut uno uerbo dicam) reliquæ omnes patiũtur, ſed una magis altera. Et hæc dicta ſufficiant pro primo fonte. Secundus fons in ordine eſt ab excremenis, excrementum iſtorum patientium huiuſmodi affectus liquidius eſt, & uirtus ipſorum contentiua, non continet. tantum quantum oportet, primo feces ſunt ſpongioſæ ſupernatantes, & decoloratæ propter priuationẽ ipſius bilis, & quandoque exeunt uermes, et oſtendunt cuius nam ſint generis & ſpeciei. hæc uolui dixiſſe breuitatis cauſa de ipſis fecibus. Quantum uero ad urinã, aliquãdo urinæ exeunt liuidæ, obſcuræ, omni humiditate carentes. hoc à nulla alia re prouenit niſi ob obſcuritatem ſpirituũ. habent etiã ſpumam propter agitationem ſpirituum. Et ſi efficitur aliqua ſubſidentia, illa erit putrida. ſaliua uero reperitur inter excrementa; ſemper enim in ore ipſorum animaliũ abundat ſaliua; ſed quando uermes aſcendunt, non eſt tanta ſaliuæ copia, quoniam attrahunt illam humiditatem quæ erat pro ſaliua: & ſic habemus iam duos fontes in quibus maxime debemus exerceri. Tertius fons ſumitur ab accidentibus. Accidentia enim maxime apparent in ipſis. primo uidetur eorum uenter humefieri, & re uera ita humefit, ut uideatur in illis eſſe tympanites, & hoc prouenit ab humoribus in inteſtinis aggregatis, & adunatis, qui non poſſunt expelli, ſunt præterea pallidi, habentes in maxillis coloris diuerſitatem. ratio eſt, quia ibi putridus uapor eleuatur, cum tendit ad exterius decumbit & deducit ſecum quendam ſanguinem admixtum qui

uariat

uariat colorem in ipsis maxillis, & hoc fit in eodem tempore, ita quòd in eadem hora uariatur color. Et quandoq; frigent, quandoque calent, modo torquentur, modo distenduntur, & habēt oculos rubeos. Distinguuntur, quoniam si sunt uermes longi & rotundi in uentriculo, sentitur noxa quia non appetunt stridentq́;, quoniam ibi conuellitur: ac in quibus conuellitur, necesse est ut is titillet eos & ideo strident dentibus, et in somno masticant, habentq́; sæpe deglutiendi impedimentum, quia cōtrahitur os uentriculi. Ascarides autem faciunt pruritus prope anum, & excernuntur, & ubi uermis latus, semper facit famem, si cibus ei non datur, in syncopim incidit, uideturq́; quod semper habent pondus in uentriculo, mœrent, non possunt lætari. Et ita habemus signa horum uermium, restat modo, ut curam aggrediamur. Curatio à natura rei sumitur, nam si natura rei erit distincta, distinctæ erunt curationes. Nam ipsa natura rei indicat nobis quod est in uentre præternaturam, esse expellendum. sed cum ipsi uermes sint animalia, retrahunt, & non sinunt se expelli: igitur oportet illos interficere prius, deinde expellere. quomodo igitur debemus interficere? Interficiuntur eo pacto, quo interficiuntur etiam alia animalia, animalia interficiuntur, aut gladio, aut ueneno: sed certum est quod ibi non possumus uti gladio, ergo ueneno utendum est. sed uenenum erit ipsis cum his quæ incidunt, ut acetum &c. ut dicit Auicen. quod bonum est quando accedit patiens ad lectum in sero sumat haustum acerrimi aceti quod incidat: alius modus est occurrere cum contrariis

sed

ſed quia ipſi generantur ex putredine, occurrere oportet cum his quæ prohibent putredinem, ideo adhibẽda ſunt exiccantia. ut roſa rubus, folia illorum, & radices, exiccant enim & exiccando interficiunt uermes, ſimiliter & terra ſigillata, & multa alia, quæ ſi locus pateretur, connumerarem. quædam uero calefaciendo, & exiccando interficiunt uermes, ac eorum habitum corrumpunt, ut terra ſigillata, bolus armena, et reliqua multa. Satis uobis ſit habere methodum, ad expellendum uero erunt quædam, quæ tantum abſtergendo expellunt, ut decoctum ſcordei blitæ, lixiuium etiam abſtergendo expellit, & hoc faciunt quoq; uulgares decoctum, & hoc utuntur iſti iumentis, exhibito enim illo ſtatim expellũtur uermes. quædam uero expellunt expurgando & abſtergendo ſimul, ut aloe; quædam uero extergendo, calefaciendo, exiccando, & euacuando expellunt, ut concoctus garyophilus: & poſtquam iſta animalia ſunt interfecta, expelluntur. quædam ſunt, quæ interficiunt quoſdam uermes ſolummodo, ut ſemen portulacæ, et ſuccus etiam. Et iſti Moderni ubi uidẽt uermes, indiſcriminatim exhibent iſtũ ſuccum, & male faciunt, quoniam huiuſmodi ſuccus conuenit in aſcaridibus ſolũmodo, qui generantur ex materia calidiori, & acriori, ideo ad prohibendum ne generentur, & ubi ſunt geniti expellantur hæc exhibeantur. huiuſmodi ſunt, ſemen portulacæ, et ſemperuiuæ, ſuccus eius in hoc confert propter eius frigiditatem. quod ſi purus detur, augebitur uermium materia, & ſic læduntur plus quàm iuuentur. Quantum ad compoſitionem medicamentorum, cõponuntur ſecundum

Semen portulacæ

dum uarias Medicorum intentiones, nam uolumus aliquando interficere, & calefacere, aliquando exiccare, aliquando infrigidare ſecundum eorum mentes uariæ oriuntur compoſitiones, ſed ſatis eſt tradere formam aut interficiendi, aut calefaciendi, aut exiccandi, aut refrigerandi, & ſic hoc modo uariatur compoſitionis uſus. uariat autem ratione uermium, & ſymptomatum, ut ſi erunt in corde, uel in aliquo alio loco, ſimiliter etiam uariantur & intentiones, ſed ego compoſui præſentaneum medicamentum aduerſus uermes, q; recipit gentianæ, centaureæ minoris, agarici. an. drac. duas, gariofilorum, nigellæ, coſti, ſcilicet ſantocij, quæ uulgo ſantolina dicitur, aniſi, ſcordij, an. drac. duas, ſcilicet cornuum cerui uſti, roſarum rubearum, ſcilicet acetoſæ margaritarum, an. drach. unam, puluerizentur omnia per ſe, deinde miſceantur, poſtea inſpergantur ſucco limonum admixto cum acerrimo aceto & aqua roſacea, æquis portionibus & permittantur exiccari, & hoc reiteretur ſepties. ultimo adde croci, ſemidrac. multi, ambræ an. g. ij. & data proportione poteſt conſtitui doſis, & cum ſyllogiſmo, de corticibus citri fiat magdaleon de quo detur patienti à drach. una uſque ad duas, uel confectis pilulis, uel in bolo cum modico mellis roſacei, uel puluerizentur cum aqua cardui benedicti, prout ægro magis ſatisfiet.

Sed ut ad id redeat unde digreſſa eſt noſtra oratio, dico excremēta naturalia de ſententia Hip. in ſecūdo prognoſticorum neceſſario habere illas quinque conditiones, ut ſit debita ſubſtantia, qualitas etiam debita, quantitas conueniens,

conueniens, tempus debitum, q. ſcilicet excernantur debito tempore, & ſolito & q, exeant per uaſa debita per uias ſcilicet ſecundum naturam. cum habuerint has quinque conditiones, erunt naturalia huiuſmodi excrementa. Aliquando de his Hippoc. ſermonem breuem habuit, nos autem diffuſe, & aperte. Poſtq̃ autem Hippocr. de his excrementis naturalibus egit, ſubſequens Hippocr. incœpit pertractare de excrementis non naturalibus quæ quidem ſunt præternaturalia, ſed ſunt indicantia ſanitatem non præſentem, ſed futuram: habent enim indicare bonam criſim futuram uel bonum terminum criſis, quæ ſigna medicus de neceſſario debet ſcire, non ſolum medicus debet cognoſcere morbum præſentem, ſed etiam debet cognoſcere qualis ſit futurus morbus, quæ ſigna prognoſtica faciunt ad uſum noſtrum. nam & ſi corpus nunc ſit ſanum, tamen tale corpus erit diſpoſitum ad morbum. ſic econtrario, ſi corpus erit ægrum in præſenti, tamen erit diſpoſitum ad ſanitatem. Et ideo ſigna Prognoſtica ad hæc prænoſcenda erunt idonea, & neceſſaria; & hanc methodum procedendi, non tantum ſeruauit Hippoc. ſed etiam Ariſ. & Galen. cum ergo Hippo. eſt locutus primum de ſignis naturalibus ſtatim ſubiunxit ſigna, de non naturalibus, indicantibus tamen ſanitatem futuram, loquitur ergo ſecundario de ſignis excrementorum non naturalibus indicantibus tamen futuram ſanitatem, uel futuram criſim, & hanc partem ſignorum indicantium criſim bonam, terminauit illis uerbis ſi aquoſa admodum &c. Sed hic ponitur quæſtio quam noluiſſem prætermiſiſſe cur uermes, Quæſtio.

D exire

exire ante concoctionem esse bonum signum, dixit Hippocrat. & tanto magis hæc causa perquirenda est, quanto consultius Galenus eam in comento silentio prætermittit; quam materiam quidem debebat explicare, & clare; cum non sit sic facilis scire, nec non digna est quod habeatur de ea sermo clarus, si hoc est signum bonum, cur ergo lumbricos teretes bonum est exire ante futuram crisim, quæ est causa huius; oportet præsupponere, quæ dixi de uermibus. Dixi enim lumbricos teretes quoniam tantum modo de his hic loquitur Hippoc. & alios uidetur tacuisse, qui uermes secundum uulgares sunt rotundi. Dicebam enim hos lumbricos rotundos generari, & fieri ex putrida materia; nam & omnes in hoc conueniunt, quod scilicet fiant à materia ualde putrida, & non tantum ex pituita ut uoluit Auic. qui in hoc fuit deceptus ut superius ostendebamus. fiunt enim ex materia putrida; tam interius, q̃ exterius, ut asseuerant Aristo. & Galen: fiunt ergo ex materia putrida licet etiam aliquando fiant ex pituita ex illa materia, quæ non est ita seuior, sed melior, altera enim dicitur pituita dulcis putrescens, quæ putrescit in intestinis inferioribus; & in uentriculo, & in stomacho; huiusmodi enim uermes sæpe euomuntur, et generantur sæpe in pueris, & sunt admodum eis familiares, & sæpe etiam fiunt in hominibus sanis, & non est ualde signum malum at qui generant, & euomunt uermiũ aliam spetiem, illi quidem male se habent. Supponitur modo nunc q, illi lumbrici generantur à materia putrida nõ multum maligna, sed satis benigna scilicet à pituita dulci,

tunc

lumbrici a pituita dulci

tunc dicimus quod lumbrici teretes possunt expelli uel inferius per secessum, uel per os scilicet per uomitum. De his enim omnibus excretionibus lumbricorum uarijs est nobis dicendum; quoniam de eis uaria nascuntur iuditia, si enim lumbrici uiui exibunt ante bonã crisim scilicet ante iudicationem est bonum cum exeunt uiui per secessum, quia talia signa indicant quod concoctio adsit; & talia signa sunt indicationes crisis materiæ concoctæ. Dum ergo apparent isti uermes per secessum ante crisim bonam apparent tunc signa concoctionis ergo bona; si ergo lumbrici exeunt rotundi per aluum non mortui, sed uiui bonum signum est, & ratio est, nam primum manifestum est illam materiam non fuisse malignam, immo benignam, nã si fuisset maligna, uel non esset generati tales, uel fuissent dissimiles, uel non fuissent uiui, præterea patet quod est bonum signum; quoniam iam tota materia est consumpta, unde uermes cocti exeunt, quia illis deficit alimentum, & tunc quærunt exire. tunc etiam natura eos ualide expellit inquantum potest per uiam, per quam debent expelli ipsa excrementa. Et hæc est una conditio ex illis quinque; quando ergo natura quærit eos expellere, & hoc quia est regulata, nam natura quærit expulsionem tanquam rei nocuæ quæ tentat exire propter deffectum alimenti, expellet autem istos quia sunt prope crisim bonã, & uirtutes propter crisis finem sunt ualidæ, & fortes; cum ergo nos uidemus hos uermes exire per aluum ante crisim est bonum signum, ut patet ratione iam allata, & hoc etiam non tantum patet ratione, sed etiam p authori-

tatem Hippocrat. ad quam multi, & ferè omnes confugiunt; & hoc quia carent rationibus & logica; afferunt tantum in medium authoritates, quas non intelligunt & sic perpetuo manent ignari uolentes alios capere cũ suis authoritatibus. ista est ratio, quare isti lumbrici per aluum exeuntes ante concoctionem, uel crisim bonam, est bonum signum. quid si exeant uiui uermes per uomitum ante ipsam crisim, quid tunc est dicendum? Dico quod morbus, uel est futurus longus, uel peßimus, & quia est futurus longus, & maximus, tum exeunt lumbrici per uomitum ante crisim uiui; ratio est in promptu quoniam materia horum est multa, & est in uentriculo, licet non sit maligna; nam uermes repunt, qui cum ibi affuerint, natura ualida eos expellit per locum illum propinquum symptomatice, & hoc quia est ualida, ratio ergo ista est quia primum manifestum est, quod ibi adest multa materia, deinde quia natura quæ eos expellit ualida est, hoc est malum quoniam morbus erit longus, crisis imperfecta & inconcocta, si exibunt uiui, non tamen omnino est malum signum, quia tantum significat morbum futurum longum: si uero isti uermes excernuntur mortui per secessum quid indicabitur? tunc significatur quod materia multa est, & ualde putrida: & tantummodo malum est interius, qui morbus tandem fit acutus ab hac acuta materia ut poßumus uidere accidere etiam in febribus pestilentibus, in quibus solent exire uermes. si materia fuerit maligna in istis uermibus, tunc excernuntur mortui uermes; & quotiescunque huiusmodi uermes in febribus pesti=

pestilentibus exeunt, per secessum tunc nullus est penitus qui euadat ab his febribus quoniam suffocantur ab illa materia tam maligna, & tam putrida; & hoc erit malum signum. si uero excernantur uermes mortui per os, per uomitum quid tum iudicabitur? nihil quidem deterius insimulq; pernitiosius & nullo pacto talis æger potest euadere & in tali corpore non tantum oportet iudicare esse multam putredinem, immo etiam natura in nullo est regulata, & omnia tunc fiunt symptomatice; si exeunt inferius tantum natura expellit symptomatice, sed si superius expellit, & symptomatice, & nihil deterius, quia nihil agit regulare ipsa natura, sed omnino præternaturā, & hoc quoniam putredo est maxima, & materia est multa, & pessima, unde & omnes motus fiunt etiam præternaturam & tandem omnia præternaturalia hoc est pessimum signum, & uidebimus semper his ægris male succedere. Hæc sunt quatuor documenta signorum, quorum unum tantum habet bonum signum absolute, quod Hipp. de omnibus partibus dicit, loquitur enim nunc tantum de signis excrementorum laudabilibus, quia & si sint præternaturalia indicant tamen futuram sanitatem, & futuram bonam crisim, de hoc tantum ergo dicit. Cæterum Galen. aliam rationem attulit inquit enim si uermes quoquomodo deorsum.s. per secessum excernuntur non sursum.s. per uomitum, & si non bonam crisim significant tamen melius est, & signum minus malum, q̃ si exeant per uomitum, & si hoc etiam sit, & appareat, ratione accidentia. Verum enim uerò, quia de excrementis naturalibus dixi per si-

gna indicantibus sanitatem præsentem, & de non naturalibus indicantibus tantum futuram bonam crisim: modo aduertendum est quod si debent esse aliqua signa, uel naturalia, uel non naturalia indicantia futuram sanitatē, uel bonam futuram crisim, oportet ut quæ hic dicentur adsint alioquin non bona signa erunt nec indicantia bonam sanitatem, uel crisim futuram nisi eius dicit Hippoc. uenter sit de necessario mediocriter inanis, & sit habitus mediocris, & quod non tumeat, excrementa non poterunt esse indicantia futuram bonam crisim necesse enim est q. si excrementa, talia debent esse naturalia, uel indicantia bonā crisim, necesse est inquam, ut uenter habeat tres conditiones, quod. s. ut diximus sit mediocriter motus, mediocriterq; tumens, hoc est, nec nimis repletus, nec summe uacuus. s. ex toto sed medio, & debito modo se habens, ita ut nec percipiatur tensio, nec repletio, nec inanitio, nec euacuatio; ubi oportet obseruare errorem ferè omnium medicorū, qui dum pertractant uentrē ægris inquiunt ex illa tractatione percipere obstructionem & credunt hoc esse uerißimum, quia percipiunt tensionem, sed ut dixi errant, & ideo cum tractabimus uentrem alicui ægro bene debemus considerare, ne credamus propter tensionem uētris ibi esse obstructionem uenarum, aut arteriarum, hoc quidem falsum est, sed ibi potest esse repletio, uel ab aliqua materia, uel à flatu in intestinis, uel in musculis abdominis, ut in hypocundrijs quod quidem manifestum est tactu, & sonitu: non ergo erit ibi aliqua obstructio, nec si esset, posset cognosci obstructio uenarum meseraicarum per tactum:

tactum: nec etiã omnis humor poteſt cognoſci, niſi ſit ualde magnus. Quare ſi percipientur extenſiones ibi tantũ modo indicabunt repletionem, non autem inflammationẽ, nec obſtructionem; ſi igitur debet fieri bona criſis; & ſigna ſuperius enumerata debent eſſe bona; opus eſt dum pertractamus uentrem quod non habeat repletionem, nec ſit ualde extenuatus, non enim debet eſſe inanis, gracilis ſine muſculis, ſine pinguedine, ſed quod ſit bene tractabilis, & quod habeat bonam carnem. ſ. quod ſit boni habitus nõ repletus, nec extenſus; & tunc hoc erit bonum ſignum, & protendentia omnia ſunt bona, & ſic dicit Hipp. quod in quauis morbi indicatione, uenter debet eſſe bonæ habitudinis, & abdomen ſit bene tractabile, & poßit bene palpari quoniã ſi aderit repletio uentris, tunc erunt multa ſigna, & per uiam cauſæ, & per uiam ſigni, & quia indicatur materiam eſſe crudam, & per uiam cauſæ, quoniã inditium ſit quod illa plenitudo faciat obſtructionẽ, ſi uero aderit in uentre nimia gracilitas indicabit frigiditatem, indicantibus futuram malam criſim: nam tale oppoſitum prætermiſſum poteſt colligi ex declaratione alterius oppoſiti, & hic eſt mos Hippocr. & uirorum doctorũ, ut ſint breues, non prætermittant tamen, quod eſt neceſſarium ſæpe enim Hippocr. facit tali modo, & alij Antiqui quod cum dixerunt unum oppoſitum, ſileant etiam alterum. Quia oppoſitum unum indicatur per ſuum oppoſitum, ut dicit Ariſt. quod contrariorum eſt eadem diſciplina. Et ſi quis bene conſiderabit, quæ nos diximus de indicantibus egeſtionibus futurã bonam criſim deinde ſi con-

Extensio ventris significat repletionem

ſiderabit etiam ſuum oppoſitum ſigna excrementorum indicantium futuram malam criſim: tunc facile habebit doctrinam, quæ eſt data per contradictionem quemadmodum eſt de hoc ſigno uermes apparentes, & exeuntes ante criſim uiui ſi fuerint, iſtud eſt bonum, & ſalubre ſignũ qui enim cognouit hoc oppoſitum, quando uermes exeunt uiui ante criſim bonum eſt. hic etiam cognoſcet peßimum ſignum quando apparebunt mortui q; eſt alterum oppoſitum. Et ideo qui habebit doctrinam, & cognitionem unius oppoſiti, iſte habebit promptam etiam alterius oppoſiti cognitionem, & doctrinam. ſic enim fecit Hippoc. ſemper & hoc in loco qui cum egit de egeſtionibus non naturalibus tamen indicantibus bonam criſim futuram, dat intelligendum ſuum oppoſitum, & inſimul de eo dicit. Vnde omnes medicos hortor ſemper exercere, & inſequi ipſum Hippocra. non ſemper intelligendo ipſum per comentaria, ſed adnotare ſuam mirabilem artem quoniam in quacunque materia optime ſe geßit optimeq; etiã dictauit ideo non immerito fuit à Galen. & alijs uocatus mirabilis, immo appellant etiam ipſum mirabilißimum in ſuis operibus. Hippoc. cum admodum ſit breuis uidetur nihil dicere tamen omnia dicit & arte mira. Vnde qui intelliget hanc partem de excrementis alui; is ſi uidebit poſtea alios cognoſcet omnia ſumpta eſſe ab Hip. nihilq; dicunt plusq̃ dixit ipſe Hip. breuißime hucuſq; egimus ergo de ipſis egeſtionibus cum ipſo Hip. naturalibus indicantibus præſentem ſanitatem, ſecundo loco egimus de excremẽtis non naturalibus indicantibus tantum criſim futuram bonam

nam per quam doctrinam possumus, & sui oppositi consequi ueritatem. nunc modo cum Hipp. agamus de excrementis indicantibus & futuram ægritudinem, & præsentem morbum, sed primo de morbis præsentibus indicatis ab ipsis excrementis, postea de futuro morbo. primo ergo incipiamus agere de excrementis indicantibus morbum frigidum, postea calidum morbum, postea de his quæ indicant malitiam morbi futuri, & omnia sufficientissime colligemus, & primo dicimus unà cũ Hipp. aquosa, aut candida excrementa, aut spumosa esse signa mala, cur uero, causa est inuestiganda, nam deiectio aquosa potest dupliciter intelligi, & potest dici de substantia aquosa, & de quantitate aquosa, potest quidem habere sensum hunc, & deiectio ista dicetur aquosa in substantia, ut sit summæ aquositatis, scilicet ualde persimilis aquæ quòd uerbum ualde refertur ad similitudinem substantiæ, potest etiam aliter capi talis deiectio quando plurima quantitas materiæ aquosæ non substantiæ eijcitur, nos autem intelligimus, tum de substantia, tum in quantitate, & non tantum in quantitate, sed in quantitate maxima, ubi enim æger egerit in quantitate maxima deiectionem aquosam hoc erit malum signum etiam in substantia, nam egestio aquosa potest accidere multis de causis uel per accidens & à causis extrinsecis uel intrinsecis. non loquimur nunc uero de deiectionibus secundum accidens, & à causis extrinsecis, quemadmodum cum quis comederit multum cibi, & multum biberit, uel passus sit nimis frigus ipsum, quoniam si ex his causis fiat deiectio aquosa hoc est per accidens

oportet.n.in ipſis deiectionibus et excrementis, ne mutata ſint propter aliquam cauſam extrinſecam quoniam de his Hipp. nec ego loquimur; uerum eſt quod dicit Hipp. quando deſcripſit faciem illam macilentam, & Hippocraticam quod ſcilicet debemus animaduertere, ne aliqua cauſa extrinſeca fuerit in cauſa huiuſmodi quia ſi fuerint cauſæ extrinſecæ, quæ immutauerint faciem hunc in modum non debemus de morte timere inquit Hipp. at ſi fuerit hoc ratione egeſtionis eſt timendum ualde ideo ſic dicimus hic de his egeſtionibus quod ſi aliqua cauſa extranea fecit hoc adeo erit ſignum malum, ut de eo ſit timendum, ſed tamen debemus ualde animaduertere ad cauſas intrinſecas, quæ poſſunt contingere quadrupliciter, aut quod erit uitium concoctionis, aut erit uitiata retentiua, aut eſt obſtructio facta in uenis meſeraicis; ex qua obſtructione impeditur chylus ne tranſeat ad hepar et conuertatur in ſanguinem, ſed defluat ad inteſtina, & tunc egeſtiones redduntur liquidæ ualde, quarta cauſa eſt quoniam adeſt maxima copia bilis de uenientis ab hepate ad ueſicam felleam, quæ bilis poſtea tranſit ab illa fellea ueſica, ad ipſa inteſtina; quia bilis ſua acrimonia excitat & corrodit inteſtina; unde egeſtiones liquidæ fiunt, quoniam cauſa eſt ipſa intemperies hepatis, ſiue calida, ſiue humida, ſiue ſicca, ſiue maxime frigida intemperies; ſiue quòd hepar etiam eſt ualde debile, & non poteſt ad ſe trahere alimentum, & quod trahit non poteſt conficere, aut conuertere chylum in bonum ſanguinem, unde ipſa excrementa fiunt aquoſa, & liquida. ſunt ergo quatuor cauſæ intrinſecæ, quæ poſſunt

reddere

reddere egestiones liquidas, & præternaturales, de quibus causis Gal. partim pertractat in secundo Apho. com. 2. partim de his agit in libro secundum locos. Cum ergo hæ deiectiones liquidæ habeant quatuor causas, per quas fiunt tales, & ubi uidebimus talem egestionem liquidam non tamen poterimus habere suam causam distinctam, siue has causas distinctas, nisi habeamus & signorum distinctionem; ideo notandum quod ubi talis deiectio aquosa apparuerit, oportet pro cognitione illius quod habemus ueram methodum procedendi in eius cognitionem; quia uisa deiectione liquida & aquosa non oportet semper statim dicere causa deiectionis liquidæ huius, una harum est causarum quatuor, quas diximus. Nam poterit aliquid aliud esse in causa, ut aliquid extraneum iam dictum, & ideo oportet scire distinguere & non solum in his deiectionibus, & excrementis, sed etiam in omnibus symptomatibus, quæ proueniunt à causis intrinsecis. Et primo sic est discurrẽdum. uidere oportet, nunquid illud symptomata sit ab aliquo extraneo, aut intrinseco si à causis intrinsecis uidere oportet, an sit per essentiam, an per consensum, sed aduertendum est quòd deiectiones alui sunt operatio ipsius uentris, quæ si fuerit facta secundum naturam erit naturalis, si uero contra naturam erit symptoma dictum siue affectus, non enim est dubium, quod est impedimentum, quod est in uentre tantum, quia non patitur uenter præcipue, ita quod causa huius sit, quod sit uitium in uentre, sed est aliunde. Vnde tale symptoma erit per consensum, sed considerare oportet, an actio ipsorum sit

læsa

læsa per essentiā idest in ipso membro in quo est, an sit per consensum idest adueniat aliunde, si uidebit medicus affluxum chatarri in aliquo, de quo tamen æger non conqueratur & egerit iste deiectiones liquidas: non tamen in illis sint nec apparent signa cruditatis, nec aliquod uestigium cibi egesti, sed excrementa illa erunt pituitosa, & in capite est fluxus catarrhi, & materiæ pituitosæ cum bile, uel poterit esse hoc uitium, uel symptoma per consensum ab aliquo alio membro, deuenire ad intestina, hæc autem cognoscemus à plenitudine corporis, nam sicut istæ deiectiones in multitudine, & magis fient in nocte, quam in die, quia natura est magis ualida, & potens in nocte, quàm in die. hæc sunt signa quæ indicant utrum deiectio aquosa sit per essentiam, an per consensum, ideo oportet recurrere ad signa utriusque membri, & uidere an talia membra sint læsa, necne & habeant suas functiones naturales, & bonas, quoniam si caput habebit suas bonas operationes istud symptoma deiectionū liquidarum non ueniet à capite, sed erit per essentiam membri in quo est. nā erit per essentiam uentris in quo est, & tunc debemus recurrere ad aliquam alteram illarum quatuor causarum intrinsecarum, ut cognoscamus utrum hæc sit à uitio malæ concoctionis, quoniam si erit ratione concoctionis, ut læsa sit facultas concoctrix ergo erit uitium in uentriculo, & signum erit hoc quod chylus erit imperfectus, & in excrementis apparebit aliquid de chylo non enim facta erit uera concoctio, & conuersio ipsius chyli: non est dubium quidem quod si hoc erit à uitio concoctionis quod apparebunt

apparebunt ſigna, & ueſtigia cibi inconcocti in egeſtione immo crudi, præterea naturalis deiectio non fœtet: & ratio eſt quoniam in hac non adeſt putredo, ſed tantum imperfectio atque defectus concoctionis. Si modo non fuerit uitium concoctionis, immo illa ſit bona ſed uentriculus ſit relaxatus propter nimiam humiditatem, erit tunc uitium uirtutis retentiuæ, quia uentriculus non recte amplectitur ipſum cibum uti oportet, nam oportet cibum recte à uentriculo amplecti, & ita amplecti quantum oportet, & uſque quo conficiatur quod ſi nimis retinebit cibum uentriculus quàm deceat erit etiam uitium retentiuæ: duobus enim modis, aut duabus de cauſis poteſt peccare uirtus retentiua, aut quia non compræhendit cibum ſicuti oportet, aut quia non amplectitur cibum quantum oportet ſcilicet tanto tempore quouſque conficiat. ubi enim fuerit uitium in uentriculo ratione concoctricis, quia non bene concoquat quod eſt primum uitium dictum: non bene continuat tunc peccat. & ſi ante cõcoctionem percipiat nauſeam, & grauedinem quandam, quæ grauedo percepta ſit ut pondus, & hoc quia non ſit uera, & bona complexio, in uentriculo, ideo non eſt, mirum ſi cibus aggrauet: quoniam tunc eſt motus dilatationis in uentriculo, & non poteſt ſuſtineri, & ille percipit faſtidium, & grauedinem: quia cibus eſt iſte qui aggrauat uentriculum. ſed ſi fiat ſecundum uitium in uentriculo quòd, ſcilicet uentriculus non retineat cibum quanto tempore oportet, ideſt tanto tempore, quanto oportet confici apparet unum ſignũ, quod eſt mugitus, nam dum cibus deſcendit ante cõcoctionem

nem naturalem, & deuenit ad ipsa intestina gracilia, tunc fit talis rugitus, ratio est quoniam calor naturalis agit in materiam quæ nondum est concocta, quæ dimissa est ante concoctionem debitam, & calor ipse est ualidißimus, & dum in eam agit facit talem rugitum in materia illa aquosa, præterea & illa materia est spumosa, cum ergo præcedat rugitus, & deiectio illa sit aquosa, & spumosa hoc uitium est secundum uitium uirtutis retentiuæ: quia non retinet quantum oportet, & sufficit. De spumosa aliquid est dicendum quoniam Gal. de ipsa spuma confuse admodum habuit causam efficientem, & materialem de alijs autem causis non loquor. Materia spumæ conueniens debet semper esse aquosa materia cum uisciditate mixta, & aerea, si debet esse spuma, & generari. hæc quidem materia conueniens est, ad generandam ipsam spumam, Cum uero efficiens est spiritus infarctus, & agitatus in huiusmodi materia, agitationes autem fiunt à duobus, aut quia motus est maximus uti in mari ex quo motu includitur in aquam ipse aer, quo incluso fiunt multæ spumæ, aut quia fit à nimio calore, ratione scilicet caloris intrinseci, ut apparet in lebete pleno, ratione caloris fit agitatio, & ebullitio, ex qua agitatione à calore facta, fit spuma, sed causa proxima efficiens spumam est refractio, & agitatio spirituum in tali materia. Calor uero, & motus possunt facere hanc talem agitationem in spiritibus, ergo calor & spiritus refracti possunt efficere spumam ipsam, ergo causa proxima spumæ est refractio spirituum. Causa uero huiusmodi refractionis est duplex. s. motus uehemens, & calor

Rugitus

Spuma.

lor intrinſecus. Apparente ergo ſpuma in deiectionibus iudicandum eſt fieri in his agitationem ſpirituum à calore in materia illa uiſcida, & aquoſa, ergo fuit uitium in retentiua uirtute, quæ non retinuit quantum ſufficiebat. ſi uero fuerit hoc ſymptoma in egeſtionibus liquidis, & aquoſis, ratione obſtructionis eo quia ſit obſtructio in uenis meſeraicis; tunc hoc ex tali ſigno percipitur, quoniam tunc percipitur pondus, & tenſio in parte obſtructa per tenſionem, & flatum percipiemus, tunc illas obſtructiones in meſeraicis effectum ſcilicet tumorem, quoniam materia ibi eſt retenta, et calor potens in illam materiam nõ digeſtam agit, & facit tumorem. Nam quando fit illa obſtructio in uenis meſeraicis, non percipitur illa obſtructio, ſed affictus tantum percipitur, qui eſt flatus, & tenſio illius partis, ſed hoc dictum nimis eſt commune, eo quia hæc tenſio poteſt eſſe, & cauſari etiam ab alijs cauſis. non tantum ab obſtructione in uenis illis, ſed ſi uidebimus in illa parte ultimam tenſionem, tunc obſtructio eſt in uenis meſeraicis, & raro fit, ut non fiat flatus, & ubi apparuerint egeſtiones chyloſæ: & materia chyloſa non recte concocta, & conuerſa, tunc non eſt uitium in ſtomacho, ſed eſt uitium in uenis illis, ut dixi quoniam chylus non poteſt tendere ad hepar, per ſuas debitas uias, ſed uergit ſe ad inteſtina, ex quo fiunt egeſtiones chyloſæ, & conſequenter apparet etiam tenſio ob illam obſtructionem, & ægritudo. ſi uero hoc uitium eſt ratione materiæ biliosæ à ueſica fellis tranſmiſſa ad inteſtina, tunc percipitur caliditas maxima in hepate, præterea, & uri-

næ

næ erunt tenues non coloratæ, non tinctæ, & ratio est, quia bilis illa quæ debet ire in urinam recepit, se in illis egestionibus; unde feces illæ fiūt ualde croceæ, ultra quod sunt liquidæ ob causam quam iam diximus, quia materia illa biliosa regurgitauit ad intestina. Cum uero fuerit tale uitium in egestionibus, ratione hepatis debilitati, quod non potest conuertere chylum in sanguinem nisi in sanguinem aquosum, & non in uerum, & naturalem, tunc chylus ille qui debebat conuerti in sanguinem uergit ad intestina gracilia; ideo deiectiones fiunt liquidæ, & ruffæ, & similes loturæ carnis, & hæ sunt omnes causæ egestionū liquidarum uentris inferioris, siue sint per consensum tales, siue per essentiam. si autem egestio sit aquosa subtilis & alba, ut inquit Hipp. aut admodum ruffa delata ab illo loco; debemus distinguendo uidere an. s. sint feces candidæ, an spumosæ, uel ruffæ, quia si fuerint cādidæ, tunc hoc est, ratione obstructionis bilis in porofelleo, nam tunc bilis non deuenit ad ipsa intestina ut ibi tingat ipsas feces. si uero sunt admodum croceæ (nam quæ fiunt subcroceæ. sunt naturales, & admodum croceæ non sunt naturales) tunc per hoc signum indicatur, q. materia bilis deuenit à porofelleo ad intestina, et urinæ, tunc nō erunt admodum tinctæ; hoc ideo est quia multa materia biliosa à felle deuenit ad ipsa intestina. si uero erit admodum ruffa est hæc tertia causa sunt similes loturæ carnis & hoc fit uitio hepatis scilicet frigiditatis in eo existentis, & debilitatis illius, quoniam ratione suæ frigiditatis nō potest sanguinem bonum generare ex chylo, & naturalem, sed tantum

generatur

generatur sanguis aquosus, & similis loturæ carnium. Si uero sit deiectio exigua, & candida, tunc est signum quod in corpore dominatur calor præternaturalis, quoniam de ratione caloris præternaturalis est exiccare & ideo materia est exigua. possunt enim facere glutinositatem, quæ possunt prouenire à causis extrinsecis, ut à cibo nimio, & potu sed de his non loquitur Hippocr. ergo nec nos de his dicemus, sed tãtum de causis intrinsecis, alia causa intrinseca faciens ipsam materiam glutinosam est, ipsa pituita admixta, & tunc talis eiectio est plurima, & non exigua; talis materia glutinosa præterea non fœtet ipsa, sed fœtet ratione caloris præternaturalis, & est exigua, hæc enim debent distinguere has fęces. Et sic patet quando deiectio sit ratione caloris præternaturalis, & quando ratione pituitæ admixtæ. Tertia causa modo est, quando calor præternaturalis coagulat, & exiccat partes aquosas, & omittit partes uiscidas ut fit in sapa, si decoquatur exiccantur partes aqueæ & fiunt uiscosæ, sed si iterum, & iterum decoquantur fiunt magis, & magis uiscosæ quemadmodum, apparet in musto decocto, & in sapa, quanto enim sæpius decoquuntur tanto magis fiet, & augebitur uiscositas, sic fit in his fecibus quia ubi materia est exigua, & glutinosa, ibi est calor præternaturalis, & color denotans inflammationem à calore isto colliquante, et exiccante indicat. At uero deiectio candida subcrocea; malitiam inter candidam egestionem, & subcroceam, & secundum Gal. duo sunt gradus malitiæ, quoniam si deiectio fuerit exigua, & cum albedine tunc est, primus gradus

E ma-

malitiæ in qua quidem dominatur calor præternaturalis, sed non uehemens, non enim adhuc est facta magna adu= stio, quoniam adeps in intestinis, qui solet colliquari à ca lore præternaturali adhuc supereminet, et omnino adhuc est candida ipsa egestio, at dum fit subcrocea, ac per exi= gua, tunc est in secundō gradu, ibi apparet maxima mali= tia, & indicatur ibi, esse putredinem; nam non tantum ibi est colliquatio caloris præternaturalis; sed maxima etiam putredo, & dat exempla Gal. de adipe extrinseco, qui cū prius colliquatur fit albus dum uero magis uehementer colliquatur fit in illo putredo, et fit coloris crocei, ex hoc enim colore croceo indicatur maxima colliquatio, & ma= xima putredo in adipe, est ergo glutinositas cum exigui= tate, aut ergo calor est ualde colliquans, & indicat maxi= mam malitiam scilicet in secundo gradu, si uero excretio est candida, tunc est quidem malitia: sed non summa. At si modo adhibeatur in ea tertia condictio, quæ est lenitas: le= ne enim opponitur aspero signum est. Lene autem poni= tur in prædicamento qualitatis, inter potentias scilicet nō naturales, dicitur enim lene, quod habet omnes partes sibi æquales, asperum uerò quod habet partes inæquales in su perficie: dicit modo Gal. & optime, quando deiectio est fa cta secundum naturam, ut est chylus exquisite concoctus, & ex omni parte sit lenis, & æqualis, & secundum to= tum; sic de hypostasi in ipsa urina. quando secundum om= nem sui partem est æqualis, tunc est bonum signum, & quod erit bene concocta. quod dixi de bona concoctione, idem de mala dicendum est; & quod natura in concoquen

do

do æqualiter peccauit secundum omnes partes, & in omni parte ostendit defectum, & malitiam suam: & ideo lenitas ipsa in malis sic indicat summam malitiam: quemadmodum, & lenitas ipsa in bona concoctione notat summam bonitatem, & omnia esse bona, & naturalia: causa hanc tertiam condictionem tangit Gal. quando dicit pinguedo liquescit.

Ergo deiectio candida, primum deinde crocea, siue lutea indicat nimiam caloris superfluitatem præternaturalem dominari, quia feces cum sint candidæ, indicant quidem calorem, sed non exquisitum: sed parum debilem, cum uero sunt croceæ, & quasi rancide indicant calorem non naturalem uehementem eas adurere, cum autem accedit, & lenitas scilicet mollities, cui opponitur asperum quòd scilicet æqualis sit in omnibus suis partibus. si enim defuerit ipsa lenitas, hoc est pessimum, & in ultimo malitiei signum, recte ergo ostendit Galen. in his esse gradus caliditatis, quia ut diximus inquit, si deiectio fuerit can dida, tunc est quidem aliqua adustio à calore quidem præternaturali, sed modica, quoniam adhuc nō est facta liquefactio si uero caliditas ista fuerit maior, tunc deiectio immutatur à caliditate, ad subcroceum, & ranciditatem, si adhuc augetur magis calor præternaturalis, non tantum egestio fit crocea, sed etiam lenis: & est tertia condictio mala, & pessima: ut inquit Gal. quoniam ista lenitas significat bonam concoctionem, & pariter malam concoctionem: nam si coctio fuerit facta exquisita, tunc illa materia concocta fiet lenis undique: nam aliqua pars,

non erit quæ ſuperemineat alteri, & ideo ſi concoctio fue
rit bona cum lenitate adiuncta erit optimum ſignum, ſi
uero ipſa lenitas fuerit in concoctione facta per obſtru=
ctiones, ita quod excretio ſit penitus aduſta, per omnes
partes, hoc erit deterrimum ſignum, peſſima enim ea eſt
deiectio, & ſunt omnia de mente Galeni. Sed nos intelli=
gimus aliter Hippoc. quàm intellexit Gal. quoniam in in=
teſtinis ſunt tres ſubſtantiæ primo enim inteſtinum ueſti
tur quodam ueſtimēto, in ipſius interna parte, ad hoc fuit
factum à natura ne excrementa, & humores acres ero=
dentes abraderent, & corroderent ipſa inteſtina, ut eſt
bilis; eum per illa pertranſit, & hoc ueſtimentum, ſiue ſac
culus ipſorum inteſtinorum eſt, ſubſtantia æqualis mol=
lis lenis mucoſa uiſcoſa ſubſtantia, & humida quæ eſt cā
dida: & ſic hæc æqualiter circum circa ueſtit ipſa inteſti=
na, ne humores cum fuerint acres illa prætereuntes cau=
ſarent corroſionem. ſecunda ſubſtantia eſt ipſa pingue=
do inteſtinorum ſecundo loco poſita, & dicitur ſecundo
intrinſeca eorum, quæ nectit ipſa; tertia ſubſtantia eſt in
teſtinorum, ſubſtantia eorum proxima ſunt uilli ipſi, &
eſt ultima ſua ſubſtantia: ſunt ergo tres ſubſtantiæ ipſo=
rum inteſtinorum, ita ut tribus partibus conſtent ipſa in=
teſtina, & ideo Hippoc. dat nobis tria genera excremen
torum diuerſa ſecundum has tres ſubſtantias patientes,
ita quod unum erit altero deterius, & aliud etiam altero
peßimum eſſe colliquatum, ita quod quando omnes iſtæ
ſubſtantiæ colliquantur eſt malum, ſed ſecundum magis,
& minus; minus enim malum eſt, quod colliquetur pri=
mum

mum uestimentum illud, uel illa prima substantia, quæ est candida quàm si colliquaretur illa pinguedo, quæ est secunda substantia, & tertia substantia scilicet eorum propria, & proxima, & etiam erit minus malum quòd colliquetur secunda substantia scilicet ipsa pinguedo, q̃ tertia, quæ proprie est intestinorum substantia. Vnde dico, quando calor adurens præternaturalis adurit tantum illud uestimentum primum humidum, & candidum, tunc minus intestina patiuntur; nam tantum patitur; prima tunica eorum, unde excrementa, tunc exeunt candida. At si calor iste erit magis uehemens, ita quod adurat, & colliquet secundam substantiam scilicet pinguedinem, quæ est eorum secunda tunica, tunc excrementa fiunt subcrocea, & sublutea, & si ita sit calor uehemens, ut etiam adurat & colliquet propriam substantiam intestinorum, quæ est tertia tunica, & fiat in ea putredo, & abrasio in intestinorum propria substantia, hoc est deterrimum signum & exitiale, & sunt excrementa, tum ualde crocea, & ualde aspera quemadmodum euenit Io. Matheo Episcopo Veronensi, piæ memoriæ, primo enim omnia candida expuebat postea excrementa expuebat lutea, deinde ualde ruffa, & cum maxima putredine. Quare non tantum pinguedo: sed etiam omnes humores tunc putrescũt à uehementi calore & fiunt lutei coloris, & ideo non est sentiendum in hoc cum Galen. cum ergo his tribus partibus, uel tribus tunicis, uel substantijs constent ipsa intestina dum putrescit prima tunica intestinorum, quæ est mucosa, & uiscosa ob colliquationem intestinorum à calore

præternaturali in remiſſo gradu, tunc excrementa excernuntur candida, dum poſtea magis augetur iſte calor ita quod putreſcat, ſecunda ſubſtantia ſcilicet pinguedo, ex pinguedine intendens egeſtio excernitur rubea colorata ad colorem croceum, & hæ ſunt peiores, dum autem ita augetur calor præternaturalis, ut putreſcat propria, & proxima ſubſtantia inteſtinorum, tunc feces ſunt ualde coloratæ, & ſunt peſſimæ, ſemper tamen hæc materia eſt lenis, & mollis, quare eſt hoc? Ratio eſt quoniam habet ſuam uiſcoſitatem aquoſam, & ferè omnia uiſcoſa ſunt humida, ut dicit Ariſt. quarto Meteor. & quæ ſunt uiſcoſa, habent etiam partem ſiccam, recte commixtam cum parte humida, iſta ergo materia eſt uiſcoſa, ergo lenis, ac mollis propter debitam mixtionem humidi cum ſicco, ut iã dictum eſt: non tamen ex hac materia aduſta, ex lenitate ipſa, & mollitie; tale ſumitur ſignum, quod ſit malum; & ideo Hippocrat. bene dicebat, quod egeſtiones candidæ, uel paucæ, uel luteæ ſemper ſunt lenes: & hoc quia lenitas q̃ cõcomitatur ipſas feces cauſatur à prima tunica, & à prima ſubſtantia: quæ eſt uiſcoſa, & uiſcida, & excrementitia: ſi ergo ſunt paucæ egeſtiones glutinoſæ, & candidæ: tunc ſignificatur pauca colliquatio, ſi uero eis addatur croceum: tunc indicatur caloris auctio, & maior colliquatio, & iam colliquatur: ſecunda ſubſtantia ſcilicet pinguedo, & iſte eſt ſecundus gradus colliquationis, ſemper tamẽ eſt adiuncta illis mollities, ſi modo appareant egeſtiones ualde coloratæ, & ualde aduſtæ: tunc iudicandum eſt, quod calor adurit tertiam ſubſtantiam inteſtinorum, et hoc eſt de

terius

terius alijs duobus primis. aduertẽdum est modo quæ sint peiores, & dicit Hippocr. exitialior autem, aut mortalior est uiscosa, nigra, fœtida, & uiridis, &c. dicit quod in egestionibus hoc signum est longe deterius magisq; mortale, si materia apparuerit nigra, & uiscida, & hæc sunt pro quarta condictione mala posita in ipsis excrementis: Vbicunque quælibet harum condictionum separatim, & diuisim apparuerint in deiectionibus, hoc signum erit naturale, si uero appareant paucæ, & liuidæ: uel sint paucæ, & fœtidæ; uel paucæ, & uirulente; ubicunque enim aliqua horum apparuerint, est signum pernitiosum; si autem omnia hæc apparuerint insimul, tunc erit exitialius signum. In his autem Hippocr. incipit à leuioribus; & ideo dicet quis quomodo Hippocrat. incipit à leuioribus, nam Galen. in libro de atra bile in primo progno. inquit quod humores eruginosi uergunt ad atram bilem ergo sunt minus mali, quomodo ergo incipit Hippoc. à leuioribus. Hic opus est speculatione, quoniam feces nigræ, quæ sunt uere feces sanguinis differunt à fecibus, quæ sunt eruginosæ; & istæ sunt periculosiores: præterea Gal. dicit, quod deiectio nigra non dicitur atræ bilis; quæ atra bilis peßima est, & mortalis; quoniam atra bilis est fex fecum, & ista est mortalis, ut habet in quarto Aphoris. ubi inquit Hippocrat. Deiectiones nigræ sponte uenientes peßimæ sunt; & Gal. in comen. illo dicit quod nigrum duplex est, unum quod est fœculentum, & istud est humor melãcholicus scilicet sanguinis fex, & istud dicitur ab Hippoc. fex nigra, aut excrementum nigrum, hoc enim non est nec de

bet dici atra bilis, licet enim hæ feces ʃint malæ, non tamen ʃunt peßimæ, ut eruginoʃæ, & ut atra bilis, quæ ʃit ex aduʃtione, quæ enim nō ʃunt per aduʃtionem, non ʃunt ʃic peßimæ, ut illæ quæ fiunt per aduʃtionem nigræ, quæ quidem ʃunt deteriores quàm ʃunt nigræ ʃcilicet quæ ʃint fex ʃanguinis, quæ non eʃt nigra per aduʃtionem. Quod autem Hippocrat. intelligat de hac nigra mala quidem non tamen deteriori apparet legenti Hippocrat. ubi dicit atra bilis in principio ipʃius morbi, ʃiue ʃupra, ʃiue inferius excernatur eʃt mortalis, quoniam indicat morbum lethalem, & mortem ipʃam, duos enim fecit Aphor. Hippocrat. diʃtinctos de nigris fecibus nigredo enim feculenta, & nigra quæ eʃt fex ʃanguinis eʃt quidem mala, non tamen mortalis, ʃed atra bilis de qua loquitur in alio Aphor. apparens eʃt mortalis. Quare dum Hippoc. dicit de egeʃtione nigra hæc non intelligit de ea, quæ eʃt facta per aduʃtionem; ʃed intelligit fecem ʃanguinis, quæ eʃt facta nigra, quoniam plurimum eʃt in ʃanguine caloris, ex quo plurimum generatur de bile; hæc eʃt prima ratio; oportet autem ʃcire, quod color liuidus in fecibus quandoque eʃt factus per aduʃtionem quandoque per frigiditatem, quando eʃt factus propter aduʃtionem eʃt minus malus quàm ʃi ʃit liuidus factus propter frigiditatem quoniam qui fit à frigiditatem eʃt peßimus. Et quando uidemus aliquid cancrorum in aliquo membro primum apparet nigredo, poʃt nigredinem apparet liuidus color, & cum hoc uidemus iudicemus, quod de eo actum eʃt. Quare ubi apparet liuiditas poʃt nigredinem, illud eʃt

Lividitas post nigredinem apparens quid significet.

peßimum signum; hæc est secunda expositio, tamen prima placet mihi magis quod scilicet per nigra intelligamus fecem sanguinis, omnia ergo glutinosa excrementa, & pauca cum aliqua earum condictionum hic enumeraturum, hoc est signum exitiale, sed minus exitiale est intelligendo fecem sanguinis, non de atra bile, ut Hipp. solet nigra intelligere humorem melancholicum scilicet fecem sanguinis qui est excrementum, bilem autem atram uocat cum est nigredo læthalis, longe enim peius est, quoniam fex glutinosa liuida fit, quia uult fieri nigra bilis, est enim peßimum signum, quia est in uia, ut plane, & penitus fiat atra bilis, quæ quidem est liuida, si ergo fuerit liuida erit peior quàm si fuerit nigra. Cum ergo excrementum est paucum, & glutinosum, & nigrum est in primo modo, & est minus malum, ut iam diximus, quia hoc tantum est fex sanguinis, non autem atra bilis, si uero fuerit pinguis est secundus gradus iste, & est peior primo & denotat maius malum, quia tunc incipit fieri adustio in secunda illa substantia intestinorum, iam enim est consumpta illa pars mucosa, quæ erat prima, & deuenit ab substantiam secundam in qua erat pinguedo mixta cum fecibus ipsis, ideo illud constat quod quando egestio erit pinguis est maius malum. Cum uero adhuc excrementum fuerit eruginosum hoc est peßimum signum inter omnia, nam materia eruginosa semper facit, & affert secum sœua accidentia, quod habet Gal. in primo Aph. ubi dicit, quod uomitus materiæ eruginosæ, quando mouetur facit conuulsionem, et idem sæpe dicit in prorethicis, & quod est pes-

E v sima,

ſima, idem quoque repetit in libro. 12. Therapeu. ubi repetit illa, quæ dicit in primo Aph. illius quintæ particulæ Aph. Et notandum quod in illo Apho. dicit quòd iſta materia eruginoſa eſt, defrutum, uel paſſum, ſcilicet ſapa, & quod eſt materia craſſa, & quod ille, qui euomet hanc bilem eruginoſam incidet in conuulſionem, & iſta materia eruginoſa dicit in eo primo Aphor. eſt ſimilis ſapæ, tamen in illo duodecimo libro Therapeu. dicit, quod quando humores repunt ad uentriculum faciunt conuulſionem, ſic in Therapeu. hanc eandem materiam dicit eſſe ſubſtantiæ ſubtilis, & loquitur ibidem de eadem materia; ergo uidetur, quod ſibi contradicat. hæc uolui dixiſſe, propter illos, qui tantum imitantur authoritates, & non dant rationes, niſi quod dicunt Galenus hoc dixit, dicit ita iſtic, defendant modo iſti hoc cum ſuis authoritatibus, cum ſe penitus confidant iſtis. debemus fugere has authoritates, non intellectas, quia qui procedunt modo, per has authoritates non poſſunt intelligere: ſed quid de hoc dico, quod non eſt mirum ſi Galenus deceptus ſit cum fuerit etiam ille homo ſicuti cæteri, & ipſe ſæpe arguit Hipp. & Ariſto. ipſum, poſt & laudat eos, & ideo non eſt mirum ſi quandoque tales uiri decipiuntur. Et idem met Galenus confirmat, dicit enim ſe non curare de authoritatibus, quando dicit non magis credendum eſſe Hippocrati, quàm rationi, ad rem modo noſtram deueniendo; dico quod loquendo de eodem humore Galenus ſibi contradicit. Hippo. ſubiunxit fetidam deiectionem, tanquàm aliam conditionem, & ideo debemus legere diuiſim quod dixit Hippo. de quatuor

iam

iam dictis condictionibus, quia si materia fuerit nigra non debemus intelligere duos colores, sicuti tantum sit fœtida, nec aliquid aliud debemus intelligere, & sic dicemus de reliquis sigillatim, postremo addidit colorē ubi interpres male uertit, quia non tantum debet esse uarietas penes colores, nam græce illud uerbum dicit uarietem, ποικίλον, quæ uarietas debet referre ad omnia non tantum ad colores; nam ista excrementa non tantum uariantur penes colorem, sed etiam penes alia, ubi autem uitium fuerit in tertia substantia illud est peßimum signum, & detestabile, & est tertius gradus colliquationis, & peior omnibus alijs duobus, quoniam tunc calor præternaturalis consumit illam suam tunicam, & abradit illa intestina, & incipiunt apparere ipsa ramenta intestinorum per abrasionem, si uero materia diuersa non tantum scilicet in coloribus, sed etiam in alijs: non tantum est peßima, & mortalis hæc materia, sed etiam longa; eo quia uult interimere hominem multis tormentis. unde bene dicit Hipp. si est materia multiplex, non una tantum condictio est: est diuturnior, non tantum exitialis; ut enim fuit dictum, hæc excremēta sunt in triplici genere, in primo apparet substantia illa mucosa colliquata, et tunc ferè sunt albæ deiectiones, secundo colliquatur pinguedo scilicet secunda tunica, & tunc egestiones fiunt subcroceæ, & coloratæ, in tertio gradu colliquatur ipsa substantia propria, quæ sunt ipsi uilli, nam fiunt, & apparent ramenta, & huiusmodi feces sunt eruginosæ, & omentum excernitur, quoniam ibi est solutio cōtinuitatis, ideo de necessario apparet cruor, & tunc est

uera

uera differentia. ſunt enim alia excrementa eruginoſa, ut ærugo peßima eſt ſcilicet porracea, ſiue uiridis, quia in his bilis primum fit porracea deinde eruginoſa, ut eſt color æruginis eris, qui quidem color tendit ad quandam uiriditatem, ſed eſt uberior, quam ſit color porrorum: ambo quidem ſunt uirides, ſed magis, & minus ſcilicet ſecundum intenſum, & remiſſum. primo ergo bilis fit porracea, quæ notabiliter uidetur deinde fit eruginoſa, & tunc eſt peßimum ſignum, & tandem hæc bilis fit nigra poſt eruginem, quod eſt deterrimum, quando hæc omnia ſimul apparent, hæc omnia ſunt ſigna dyſenteriæ, & nulla eſt ſpes amplius de ægro, & ſi curatur caſu hoc fit miraculoq; potius quàm medicamento; præterea ſubiungit Hippocrates deiectiones flatulentas, ubi debemus notare, miram artem Hipp. diximus enim inter initia, quod excrementa naturalia ſecundum Hipp. alia erant craſſæ materiæ, alia uero flatuoſæ, & ſpiritualis. uideamus modo ſuū ordinem; hucuſque egit de omnibus excrementis alui, quæ ſunt corpulenta, & craſſa, nunc autem agit de ſpiritualibus, & flatuoſis excrementis quod eſt ſecundum genus excrementorum, & ponit differentiam inter hæc flatuoſa. Horum autem excrementorum ſpiritualium poſſunt eſſe tres gradus, primo inquit, quod ſi excremēta fuerint, ſine ſono flatuoſo, tunc erit bonum ſignum, melius eſt autem quando erumpit ſine flatu, & eſt ſecundus gradus, quando enim exiens excrementum fuerit cum flatu, ſine ſtrepitu, tunc indicatur quod talis materia eſt pauca, nec uiæ per quas debet tranſire, & exire ſunt ſtrictæ, nec occultæ

cultæ immo ſunt amplæ, ideo tunc non fit ſtrepitus, ſed omnia ſunt ſecundum naturam, talis ergo exitus eſt bonus. At ubi exit excrementum, cum flatu & ſtrepitu, tũc indicatur maius, quàm ſi exeat ſine tali ſtrepitu, tamen excrementum tale cum flatu ſtrepitoſo eſt minus malum, quàm ſi non exeat, ſed introcludatur, quia indicatur quòd natura eſt ualida, præterea iudicatur, quod non eſt tanta materia, quæ non poßit expelli at quando introcluditur nec poteſt exire, tunc indicatur uel materiam eſſe multã & uiſcidam, uel uirtute eſſe debilem, ideo hoc eſt peßimũ ſignum efficit enim ſæuos dolores in corpore. At inquit Hipp. aduerſas ſiquis fuerit pulchre ornatus, & publice coram omnibus emittat talem ſtrepitum, & non ſe teneat ab hoc, dicit Hipp. uel iſte patitur dolorem maximum, & ualde ab ipſo torquetur, aut quod iſte uir delirat, & hæc attinent maxime ad iudicium, & ad prognoſticandum. At ſi fiat cum ſtrepitu, & iſte homo ſit probus ſignum eſt, quod patitur maximum dolorem, quia non poteſt retinere ſe ab hoc coram hominibus, & medicis, & tale ſignum indicat pernitiem, quandoque autem talis ſtrepitus factus coram hominibus non dicit pernitiem, nec malum aliquod, ideo modo ipſe delirat. hactenus eſt dictum de materia flatuoſa, quæ exit. nunc agamus de excrementis flatuoſis detentis; & oſtendamus quomodo debeamus uti prognoſticis in his, quia ſi permanente materia flatuoſa percipiatur murmur in illa parte interna, hoc eſt bonum ſignum; quoniam reſoluitur talis flatus ſiue inflatio, aut enim ſi talis flatus decubuerit ad partes infernas, & conſequen-


ter

ter fiat murmur hoc est bonum signum, & tanto magis erit bonum signum si huiusmodi inflatio exierit cum fecibus, semper ideo ubi apparet murmur ibi erit bonum signum, & ratio est, quia calor naturalis agit in illam materiam, ex qua agitatione generatur tale murmur, quia agitatur materia in loco angusto, ideo de necessario fit murmur, aut tuberculum. post autem tumorem si appareat murmur est bonum signum, si ergo illa inflatio sine calore, & recens sit, quia si non esset recens non posset sic solui, sed si recens fuerit adueniente quocunque murmure ratione caloris naturalis est bonum signum, & si exierit simul cum ipsis fecibus excretis. Et hæc dicta sint satis de fecibus, siue deiectionibus. proximum nunc ab his est, ut dicamus de Vrinis.

FINIS.

Index in tractatum de Vrinis

IOANNIS BAPTISTAE MONTANI DE MORBO GALLICO TRACTATVS.



VLTIPLEX est opinio de origine morbi gallici. inter reliquas una est, & maxime celebrata, quæ talis est, quòd morbus iste ab influxu cœlesti initium, & originem suam traxerit: tamen cessante tali influxu perseuerauit semper talis ægritudo, & hoc quoniam quamplurimi remansere huiusmodi morbo infecti, qui deinceps alijs & posteris per contagium ipsum tradidere: & ita, ut nunc adeo frequens sic. Verum opinio ista mihi nunquam placuit. tamen in præsenti eam non redarguam, cum huc accesserim docendi magis gratia, quàm ostentandi. Quapropter quàm breuißimè dicam, quid de hac re sentiam. Certum est Domini, quòd morbus iste per contagium acquiritur, & non tantum ex congressu mulieris cum uiro; uerum etiam si quis cũ laborante huiusmodi morbo, quique pustulas habuerit, dormierit, eisdemq; uestimentis ac rebus, quibus ipse utitur, usus fuerit, facilè inficitur. Quis autem ad nos apportauerit pestem hanc, inquiramus. Debetis scire quòd anno à CHRI-

STI Nat. 1492. quidam Columbus miles una cum multis Hiſpanis acceßit in Indias illas nouas, quas Calicut appellãt. qui quidem morbus cum ibi familiarißinus ſit, quemadmodum ſcabies apud nos, tunc multi ex illis Hiſpanis, dum ibi morarentur, infecti ſunt tali morbo: qui deinde ad ſuas regiones & ad nos reuertentes, multos ex noſtris inficere. Quòd autem iſte morbus ſic illis Indis familiaris, non eſt mirum, nam Gal. in libello illo. an animi mores, &c. & Hippoc. in libro de aere aqua, &c. & in primo Epid. nec non in primo de ratione Vict. Inquiunt, quòd ſunt Endimiæ quædam, quæ paßim uagantur, ſicut & Epidemiæ. ꝙ autem hoc ſic uerum, habetis, apud Arabas quòd erat quædam ægritudo, quã uenam Endimini appellabant, quæ talis erat, quod in uena & arteria concreſcebat ſanguis, & uidebatur fieri ſicut ſerpens quidam, & difficillime curabatur. ſicut etiam de lepra, quæ apud multas regiones frequentißima eſt, in quibuſdam uero raro accidit. Nam ſcythæ non patiebantur lepram, & ſic paucißimi Germani tali afficiebantur morbo: plurimi tamẽ Aſiani infeſtabantur, & hoc propter diuerſitatem regionum. ſicut igitur in iſtis regionibus nonnulle ægritudines craſſabantur, quæ in alijs non reperiuntur, pariter non eſt mirum, quòd apud Indias illas nouas uigeat morbus iſte contagioſus, illis tamen familarißimus: et ideo repertum eſt etiam apud ipſos Antidotum ſuum, quod Lignum Guaicanum dicitur. Morbus itaq; iſte illis eſt ſicuti apud nos ſcabies fa=

miliaris, & acquiritur per contagium, ſicut & ſca-
bies. Cũ igitur anno 1496. Columbus ille in Italiam
reuerteretur, & tum temporis Carolus Gallorum
Rex numeroſo exercitu Neapolim acceſſerit, ibique
permanſerit, per aliquot menſes, tunc contigit, ſicuti in
exercitibus euenire ſolet, quòd multi hinc inde fuerint
facti transfugæ, & ſic milites illi Columbi, qui forte
etiam ex illis Indijs quaſdam meretrices adduxerant
ſecum, quibus cum concumberent, deinde multas alias
infecere: quæ deinceps & Italis & Gallis Hiſpaniſq;
talem luem contribuere, tunc temporis. Quapropter
Galli morbum hunc appellauerunt Neapolitanum
morbum, non Gallicum: & hac die etiam ita dicunt.
Hiſpani uero & Itali Gallicum, quia in eo bello cæ-
pit graßari & hæc de origine iſtius morbi, & quo-
modo per contagium acquiratur.

Modo ſi uolumus iſtius morbi curationem trade-
re, neceſſarium eſt imprimis ipſius naturam & eſſen
tiã inuenire. At quæ natura eſt iſtius morbi, quæ'ue
eſſentia? Dico quòd eſt mala intẽperies calida & ſic-
ca in hepate per contagium impreſſa. Verũ quia ma-
la intemperies poteſt eſſe cum materia, & ſine mate-
ria, dico quod prius hæc intẽperies eſt ſine materia:
poſtea procedente tempore fit cum materia, ac ſoluit
continuũ, & iſta acquiritur per cõtagium hoc pacto,
uel cum quis comercium cum infecta habuerit, ab illa
emanat aliquod uirus, in quo exiſtit illa mala & uene
noſa qualitas, quæ figitur uel in ore, uel in præputio,

quæ membra ſunt laxiora, & magis apta ad recipien
dum hanc uenenoſam qualitatem: quæ cum ibi eſt iam
impreſſa, paulatim repit ad uenas paruas, deinde ad
maiores, donec hepar pertingat: quæ cũ eò peruene=
rit, ipſum occupat, immutatq; ſuam naturalem tem=
periem: quòd hepar poſtea ſic alteratum primo adurit
omnes humores in eo exiſtentes, qui tranſmittuntur
ad omnes corporis partes pro nutrimento: ſed cum
mali ſint, tunc membra renuunt ipſos, nec nutriunt: &
ideo corpus illud redundat quam plurimis excremen
tis, quæ ſi nimis mordacia fuerint, tunc generant ulce
ra, puſtulas, pilorum defluxus, dolores inter iunctu=
ras, & alia infinita ſymptomata ſecundum uariam na
turam humoris quæ aduritur. nam ſi fiat ulcus, illud
poſtea à mala intemperie fouetur, & cum in ulcere
adſit dolor, propter ſolutionem continui, tunc ratione
doloris adtrahitur noua materia, ex qua continua ad=
tractione difficillime curantur: quoniam mala intempe
ries nõ facilè corrigi poteſt, cum iam in membro tam
nobili impreſsionem fecerit: quia uero calida & ſicca
eſt, ideo aſſumpſit plurimum de humido radicali, & ad
ſiccitatem iam uergit, cum ad ſic ibi caliditas præter=
naturalis. Vos autem ſcitis, quàm difficiles ſint ad cor
rigendum lapſus, qui ad ſiccitatem uergunt iſta autem
intemperies eſt magis ſicca, quàm calida: ideo non eſt
mirũ ſi difficilis ſic curationis. Sed cur os, præputium,
uulua recipiunt tam facilè huiuſmodi morbum? Dico
quòd ratio eſt, tum quia membra iſta ingrediuntur in

corpus, tum etiam quia laxa admodum sunt: & ideo agens facilius imprimit in subiecto disposito, quàm in non disposito. Accedit etiam hoc quòd ex confrictione membra illa incalescunt, & pori magis rarefiunt, & tunc facilius uirus emanans ab ulcere corporis infecti imprimit malam illam qualitatem: quod quidem uirus cũ sit calidũ & siccum facilè penetrat, & exulcerat, & corrodit, & euenit, quòd qui mollis sunt carnis facilius recipiunt hunc morbum quàm qui solidioris carnis sunt. Quapropter mulieres & pueri facilè inficiuntur ex lactatione & aßiduo lactis usu infecti. Verum tamen est, quòd ut plurimum in coitu acquiritur contagium illud: quoniam illa membra naturaliter sunt laxa, accedẽte postea illa frictione in coitu, incalescunt, & pori rarefiunt magis, magisq; relaxantur, quæ calefacta humores magis recipiunt, & uirulentiam illam, & malam qualitatem, quam postea singulis partibus communicant, & præcipuè hepati, eò modo quo dictum est. Quòd intemperies hæc sit calida & sicca, à natura rei cognoscitur, & ex effectibus suis: nam si ulcera fuerint, habebunt duritiem satis insignem. Durities autem fit uel à pituita crassefacta, uel à melancholia, sed non à pituita crassefacta, quia nõ corroderet ergo à materia melancholica et de hoc Gal. in lib. de hum. præternaturã. ubi adsunt erosiones cum duritie, ibi adsunt materiæ crassæ adustæ. Sed si materia esset tenuis, potius Erisypelata faceret, uel ulcuscula superficialia, non autem in profunditate. At

Vlcera in profundo cum erosione

ulcera hæc sunt in profundo, & cum erosione. ergo materia crassa adusta est, quæ causat talia ulcera. Quòd etiam sit materia calida & sicca, cum adustione declaratur, quia istorum ulcerat curantur cum iis quibus medemur ulceribus adustis: quod quidem ulcus uenis primo paruis paulatim, deinde maioribus transmittit suam malam qualitatē, donec hepar pertingat, & ipsum occupet. quod ita ulceratum, talem sanguinem, talesq; humores, qualis est intemperies sibi adquisita, generat: unde & in hoc morbo idem contingit, quod & in scabie. si quis utatur pannis, quibus utitur scabie laborans, uel cum illo dormiat, primo incipit scabies in una tantum parte, deinde ad alias successiue permeat, donec totum infectum reddat, & sic ad hepar pertingit, quod ita alteratum, talem sanguinem generat. Quapropter tales non bene sanantur, nisi prius euacuata materia, et alterato corpore uidelicet, hepate quibus peractis linimentis etiam leuißimis tollitur, quæ alioquin ex se nunquam abiret: & ista magis hominem affligit secundū dispositionem ipsius & secundum etiam quod se regit circa cibum & potum, reliqua sex non naturalia. Et extat una propositio uniuersalis in medicina, quòd quando aliquis affectus æqualiter in toto corpore est impressus tunc principium naturale est uitiatum, ut uerbi gratia, si quis patiatur priuationem motus, & sensus in toto tunc de necessitate patitur principium sensus & motus, & cerebrū ipsum, pariter si quis patiatur asphexiam, id est

ſummam pulſus imbecillitatem, ſignum eſt uitium eſſe in principio uitali.ſ.in corde: & ita ubi in ſingulis cor poris partibus uitiatur ſanguis, ita quòd fiat uel adustus,uel pituitoſus, uel ſalſus, & per totum diffundatur,tunc ſignum manifeſtum eſt,quòd hepar ſit læſum.ſic igitur non eſt mirum,quòd ex una parua ſcabiei puſtula totum corpus inficiatur quandoque: pariter mirum non debet uideri,quòd ex parua puſtula uel ulcuſculo iſtius morbi uenenoſi inficiatur totum: ſi quidem inficiatur hepar, quòd eſt principale membrum toti deſeruiens:quod cum fuerit ita infectũ, neceſſarium eſt omnia in deterius labi. Et ideo Gale.in ſexto de locis affect.declarat,quòd paruũ uirus ſcorpionis in aliqua parte impreſſum pertingat illico uſq; ad cor,uel cerebrũ:ubi recitat de quodã,qui ex morſu ſcorpionis adeo infrigidari uidebatur, ac ſi aqua frigidißima ſuper caput eius inſperſa eſſet.et uidetur quaſi uirtus quædã ſpiritualis,ſicuti etiam eſt de opio. nam modica opij qualitas totam habet infrigidare maſſam ſanguinis.non igitur eſt mirum,Domini,ſi illato cõtagio uel in ſumma uirga,uel in ore,uel in uulua,diffunditur illa mala intemperies,& uſq; ad hepar pertingat. quòd autem ita ſit,quòd ſcilicet hepar inficiatur, apparet, nam omnes tales liuidi ferè & ſubnigri apparent,floridumq; tum faciei,tum cutis amittunt colorem:et triſtantur ſine cauſa, cum prius hilares eſſent, ut dicebat Gal.in lib.artis paruæ,et in quarto de tuẽd. ſanit.quòd talis eſt cutis in ſuperficie,quales ſunt hu-

Color galli-corr

mores in corpore dominantes, nisi ad profundum decubuerint. isti igitur tristantur, quia non amplius sanguinem bonum, floridumq; habent. Vnde & spiritus qui ab eo eleuantur, cum sint adusti, non possunt esse clari, nec lucidi: sed perseuerante hac mala qualitate in hepate calida et sicca maior fit sanguinis adustio. tunc autem membra renuunt talem sanguinem adeo crassum adustum & mordacem pro nutritione sui. ideo consequenter aggregãtur tunc plurimæ superfluitates in tali corpore. quòd si isti aliquam corporis partem reliquis imbecilliorem habuerint, illuc humores tales excrementitij confluunt, siue modo ad crura, uel ad pedes, uel ad cutim, diuersaq; symptomata, ibi percipiuntur. Si enim iuncturæ fuerint debiles ad iuncturas confluunt quæ cum frigidæ sint humores illi acres et mordaces adusti in ipsas penetrãt acutissimosq; dolores pariunt talesq; gignũt dolores ac si terebra perforarentur si uero ille humor magis tenuis fuerit, nec ita assatus, nec adustus uirtusq; potẽs et ualida fuerit expellit talem humorẽ ad cutim et pustulas facit. nam cutis est receptaculũ omniũ excrementorũ, præterea pustulæ illæ ad nigredinem uergunt, unde indicant adustionem ipsius materiæ insignem sub illisq; pustulis propter summã adustionẽ fiunt ulcera, quæ difficillime curantur, & quandoq; ita acris & mordax est huiusmodi materia, ut uapores ab ea eleuati caput petentes causene diuersa symptomata uehementes capitis dolores, pustulas, capillorũ defluxus, nonnunquam

ad iunct[?]

ad cutim

figuntur in palato uel in gula, quia humidæ & laxæ & ibi causant ulcera: faciunt autem crustas, quia dum sanguis ille aduritur, eleuātur uapores ad caput acres qui cum cerebrum ualidum & forte inueniunt, ab ipso ad cutim expelluntur, & ab eis dolor & in furculis & in spatulis propter ascensum illorū uaporum causatur qui inhæret periostijs illarum partium. quandoque etiā cadunt pili propter defectum alimenti ipsarum, aut quia etiam alimētum sit corruptum. interdum circa cutim plurima plerunque adsunt excrementa, quæ ibi putrescant, & si pili generentur ex adustione humorum tamē si adustio illa corrumpatur & aduratur magis tunc cadunt pili et hinc est. quod auripigmentū facit cadere pilos, quia tollit ortum ipsorum adurendo radices sic & materia illa adusta, quæ ad radices pilorū tendit cū aduratur magis est causa quod pili cadant. Quare omnia symptomata indicant summā adustionē, et percipue in hepate, siquidē in tota massa sanguinis adest uitiū ergo et in ipso principio. sed aduertas quòd ista adustio habet gradus diuersos nam si hepar in totum etiam frigidæ & pituitosæ temperaturæ inuenerit facit quidem adustiones non ita tamen sicuti in hepate cal. & sic. & ideo non est mirum in uarijs temperaturis si uarij reperiātur effectus istius gradus & uariæ affectiones nam in alijs abscessus in alijs dolores, in alijs ulcera, in alijs scyrrhus & gummæ. si quæret quis cur est quòd huiusmodi affectio non peruenit ad cor sicuti ad hepar nam si

cuti peruenit ad hepar per uenas, ita etiam tendit ad cor per arterias. Dico quòd ideo non euenit quia ad hoc quòd agens agant requiritur dispositio ipsius pathi. noui enim ego multos quosdam uero uidi qui ex uno tantum concubitu illam malam qualitatem acquisiuerant, quare dico impreßionem hanc facilius recipi in hepate per uenas, quam in corde per arterias. nam cor & arteriæ sunt ualidißimæ, & substantiæ admodum duræ & solidæ, ideo huiusmodi intemperies non ita facile potest imprimi in ipsis. uenæ autem & hepar, quia habēt substantiam magis laxam minusq́; solidam merito non adeo affectibus isti resistunt sicut cor & arteriæ ipsæ. sed quæres nunquid quando facta est illa pustula in præputio & in inguinibus appareant illi tumores.i. bubones an sit appellandus morbus gallicus necne? Ad hoc dicimus quòd si pustulæ illæ nuper incœperint easq́; prudens medicus extinxerit ac represserit dico quòd tunc illa non est dicenda morbus gallicus & tunc color cutis fœdatur & magis niger quam pallidus redditur & hoc ideo est quia sanguis ex quo nutriuntur membra omnia aduritur ineptioraq́; redditur ad membra nutrienda ac spiritus ēt ipsi obtenebrosiores efficiuntur ideo isti tales semper tristia cogitant & mala imaginātur quòd si adhuc perseuerauerit aggregantur quamplurima excrementa quæ deinceps ad iuncturas expellun tur & ad periostia, unde continue augentur plurimi humores pituitosi qui superassati fiunt deinde gypsū

quapropter circa iuncturas quandoque fiunt gummæ quod si magis adurãtur & magis acres mordacesq; euadant diuersa causant ulcera. quòd si diutius hæc in temperies perseuerauerit, nec cessat donec omnia mẽbra principalia occupauerit quia cũ contrarium contraria applicatur necessario sequitur actio & paßio. dum enim uirtus cerebri, potest resistere huic male qualitati resistit quantum potest & si caput dolet tristiaq; imaginetur non credatis, tamen quia læsio fit principaliter in cerebro, & cerebrum per essentiam læsum sit sed per consensum propter uapores ascendentes ab inferioribus partibus unde si irascatur hoc est, etiam per consensum uaporum ascendentium quia cum sanguis crassus & adustus sit in hepate & ex eo generentur spiritus, quia ex puriori & magis defecata parte sanguinis gignuntur non possunt esse ipsi nec lucidi, nec clari, non tamen propter hoc dicendum est affectum esse principaliter in corde, sed perseuerante morbo ipso concedo quòd ista mala qualitas imprimatur in utroque prius tamen in cerebro quàm in corde quia est laxum cor uero est solidum, & durũ, ideo facilius recipit illam malam impreßionem quàm cor. cerebrum igitur ita inficitur, & ita ut quandoque corrumpatur meringe ipsius & os etiam corrodatur ipsius cranei, sed tunc iste peßime se habet quoad operationes naturales & animales, ultimo contaguium, istud ad cor pertingit ratione peßimi alimenti quod generatur in hepate & cor ratione illius ma=

gis exiccatur ob impreßionẽ illam quæ cal. & sic. est et sic incipi tabescere tunc autẽ nulla est redẽptio tales autem fiunt admodum agrestes & impatibiles nulla possunt tollerare & si quis alius secum loquatur fastidiunt omnia. maxima enim fit adustio in cerebro in istis & ita morbus iste tres habet gradus primus est quando illa mala qualitas in hepate figitur ac imprimitur quòd si tunc cerebrum quidquam patiatur illud est per consensum. secundus gradus est quòd ultra hepar occupet cerebrum & tunc apparent signa quæ superius diximus. ultimus gradus est quando etiam cor opprimit ex quo sequitur marasmus nec amplius curatur & .n. patientes temperiem humores illi prout aggregantur adurũtur & sic sequitur perpetuo adustio humorum siue sit bilis, siue pituita, siue atra bilis qua de re iã habetis naturam & essentiam istius morbi nec non sua signa ipsorumq; rationes: uerum si talis est qualem diximus, essentia huius morbi quomodo remouebitur cum aderit? Duplex est uia, una per ea quæ à qualitatibus manifestis operatur, alia quæ à proprietate occulta, ac quis insurget dicens ut ergo concedis illam qualitatem occultum siue proprietatem quã temperature ubique uituperans? Ad hoc dico q. Gal. interdũ ad illam confugit ut exempli gratia qua re Scamoneum trahat bilem de hoc nulla potest tradi ratio nullaq; causa reddi quare stercus pueri curet synanchen. in isto igitur morbo debetis procedere cum ijs quæ operatur à qualitatibus manifestis, & cum

hmõi morbus sit intẽperies hepatis cal. & sic. & cum materia primo. materiam euacuabimus deinde cum frigidis & humidis quæremus reducere hepar ad pristinum statum nam non possumus intemperiem remouere nisi prius educatur materia. non enim potest reddi ullum membrum ad suum naturale temperamentum, nisi prius mundatũ fuerit à proprijs superfluitatibus, prius igitur uacuãda materia deinde alterandum est hepar cum frigidis & humidis, & quoniam morbus iste est malignus & uenenosus, non potest tolli cum sit ualde impressus cum ijs quæ à qualitatibus manifestis operãtur ideo ad Bezaortica siue antidota est recurrendum. unde Deus gloriosus de hoc nos commoneat suumq́; ostendat auxilium quemadmodum etiam fecit in alijs morbis uenenosis & hoc est decoctum ligni Guaicani nam & medici moderni qui supra nos tentauere morbum istum curare & cum ex affectibus ab eo prouenientibus uiderent intemperiem hanc cal. & sic. in curatione cum frigidis & humidis processere & quia uidebant ista corpora propter huiusmodi intemperiem esse referta quamplurimis malis humoribus prius exactam & ipsi euacuationem tentarunt & cum uiderent ulcera cum ijs quæ Arabes ulceribus malignis & putridis occurrere consueuere quæ saphati appellãt processerunt & quia in hmõi ulceribus Arabes argento uiuo utebantur, ideo & ipsi cum huiusmodi processere non tamen curabãt, etsi uidebantur curare propter summam ar-

genti uiui repreßionem quam habet non tamen ut di=
xi curabant quia non remouebant illam malam intem
periem ſed bene per aliquod tempus remanebat ſup=
preſſa procedente uero tempore omnia deteriora re=
dibant quam prius eſſent, & quia non credebant ſe ſa
nare cum linimentis, ideo antidoto uſi ſunt ipſo &
quia aſſumendo argentum uiuum per pillulas & ſy=
rupos, tum quia nimio ſuo motu ulcerabat inteſtina
ideo ſiſtebant ipſum & cum ſaliua & cum axungia
& cum ſimilibus & hoc appellarunt argentum præ=
cipitatum cum potius præcipitans dicere debuiſſent
quoniam præcipitat homines. Hactenus ſciuiſtis quòd
intemperies iſta calida & ſicca, hepatis reducenda eſt
ad ſuum naturale temperamentum, cum ſuis oppoſitis
frigidis. ſ. & humidis. Sed hoc dicebamus non poſſe fie
ri niſi prius euacuatis quibuſdam humoribus aduſtis
multiplicatis in corpore propter huiuſmodi intempe=
riem & quia medici gradum iſtius lapſus & formam
eius ſpecificam ignorant quæ quidem uenenoſa eſt &
peſtifera ideo occurrunt ei cum ſuo antidoto quia ſi=
cuti forma faciens iſtum morbum eſt nobis occulta
ita medicina reſpiciens iſtam formam eſt nobis
ignota. quòd autem huiuſmodi intemperies ad certum
gradum peruenire debeat ad hoc ut faciat morbum
gallicum licet aliqui uelint ita argumentari, quòd le=
pra eſſet morbus gallicus; hoc modo omnis morbus
gallicus fit ab intemperie cal. & ſic. hepatis ergo om
nis Lepra eſt morbus gallicus. uide quæſo quomodo

ualeat hæc consequentia in secunda figura ex puris affirmatiuis in terminis non conuertibilibus bene uerum est quòd lepra fit ab intemperie cal. & sic. & quòd curatur cum his quæ euacuant humorem melancolicum & per frigida & humida alterãt hepar ipsum non tamen per id lepra est morbus gallicus & quia medici ignorant formam specificam ideo casu inuentum est eius antidotum quod est caro uiperæ ex qua asserit Gal. se multos curasse in eo loco qui est de subfig. emp. sicut etiam morbus gallicus, primo debet curari cum ijs quæ humorem melancholicum euacuãt deinde cum ijs quæ alterant hepar ad frigidum & humidum. & Deus dedit nobis suum antidotum quod respicit hunc morbum à tota forma & illud est liguum Guaicanum, quod non tantum quoad qualitates manifestas contrariatur suæ formæ, sed potius uidetur illi simile & fauere quoniam calidum & siccum. ex quo uidetur quòd intemperiem illam augere debeat magis. ideo cum ipsum morbum remoueat operatur non quia calidum neque quia frigidum, sed quia tale. in curatione igitur istius pessimi & uenenosi morbi consulo ut utroque modo procedatis, primo incipientes ab ijs medicamentis quæ per indicationes sumuntur, & quia humores plurimi sunt & adusti, ideo prius euacuandi sunt sed prius, sunt præparandi & concoquendi, postea alterandum est, hepar ad frigidum, & humidum quoniam intemperies acquisita est calida & sicca. ultimo cum bezaortico uel cum decocto Ligni Guaicani,

quod à proprietate ſanat. Quod autem ubi adeſt huiuſmodi morbus ſint plurimi humores aduſti melancholici iſtud ex ſuis ſignis deprehendetis nam, uel patiuntur dolores in brachijs, uel in ſpatulis, uel in cruribus, uel in capite, qui cauſantur à uaporibus eleuatis ab humoribus aduſtis interdum ulcera, tum circa pudenda, tum circa os & palatum quæ indicabunt ſupra humorem melancholicum aduſtum. quandoque puſtuas in capite quandoque capillorum de fluxus, propter peßimum nutrimentum quæ omnia atteſtantur ſupra tales humores aduſtos plurimos deprauatos quapropter euacuandi ſunt, & optime & exquiſite, & quia aggregati fuerunt propter malam hepatis, intemperiem quod cum generet peßimum ſanguinem illum tranſmittit per uenas, & arterias ad uniuerſum corpus nutriendum. ſed cum iniucundus ſit, & inutilis, atq; excrementitius membra ipſum renuunt. unde non fit in hepate tunc bona concoctio, unde multiplicantur excrementa qua de re facta prius concoctione & conuenienti uentris euacuatione, unitatis ſanguinem uſque unc. x. & plus & minus, ſecundum quòd corpus fuerit robuſtum aut imbecille, & ſi uirtus ita debilis ſit, ut talẽtã ſanguinis mißionem unica uicè non poßit ferre bis terue iterabitis donec eam quantitatem quam intenditis eduxeritis. ex hac enim euacuabitis humores qui in toto uenarum ambitu aggregati ſunt propter malam hepatis intemperiem, deinde refrigerabitis ipſum hepar & uniuerſum corpus,

pus, quo maxime indigetis, postea quia scitis aliquos humores crassos, & adustos superesse, concoquitis ipsos, quoniam ex ipsis non potest generari alimentum per corpus, quia iam omnes concoctiones pertransiuerunt, quia humor melancholicus est excrementum, & fex omnium concoctionum, si igitur excessit omnem concoctionem, scitis uos, quòd ex cinere nihil fit, ideo non potest concoqui uera & propria concoctione, sed concoquitur hoc pacto, quia coniuncta est plurimis bonis humoribus & laudabilibus, tam in uenis quàm extra uenas, & cum crudis etiam, ideo istos concoquetis aptosq; secretioni reddetis. Quapropter imprimis exhibebitis ea quæ ueram faciunt concoctionem ipsamq; adiuuant, & ista sunt calida & humida, hoc enim pacto ueram facietis concoctionem adiuuando calorem innatum, qui postea crudos humores aggreditur, ipsosq; concoquit & tunc natura quod est sibi simile retinet, quod uero noxium expellit, & segregat. quia igitur in istis aggregati sunt humores adusti plurimi, non debetis concoquere uera concoctione, quoniam humores isti ueram concoctionem pertransiuerunt, sed concoctione improprie dicta, adiuuando scilicet calidũ innatum quo eos humores crudos cum adustis coniunctos cõcoquat, & ipsos separet, & adustos humectabitis magisq; expulsioni paratos reddetis, & cum natura fortior fuerit facta, eos deinde expellet, quòd si tale munus non efficiet, debetis uos adiuuando ipsam expelle-

re. Aduertendum autem hic est, quòd isti ferè omnes practici ad præparationes humorum nulla facta concoctione procedunt, nullam differentiā ponentes inter præparare, & concoquere, ideo in principio abstergentibus, incidentibus, & aperientibus procedunt, sed illi humores cum nondum præparati sint, nec concocti, detruduntur per uasa, & incuneantur nulla facta prius concoctione, nec etiam abstergi, nec incidi possunt, cum non sint concocti, ideo notetis differentiam, quæ est inter concoquere, & præparare: nam concoquere est adiuuare calorem innatum, ut super humores fortius, et ualidius agere poßit, ipsosq; concoquere, malosq; à bonis separare. præparare uero est cum concocti sint, si tenues nimis fuerint, eos incrassare, si craßi nimis, attenuare, si uiscidi, incidere & abstergere, & tandem eos euacuare: sic itaq; semper debetis facere: prius accedere ad concoctionem humorum antequā præparentur, deinde facta concoctione, & præparatione, si natura nō euacuat, euacuabitis uos, ideo in principio in casu nostro procedetis cum fomentis calidis & humidis, & circa uentriculum, & circa hypocondria, ut prima concoctio optime fiat, & iuuetur calor innatus, postea cum ijs, quæ interius assumuntur, ut sunt calida & humida, tam scilicet cibi quàm medicinæ, sintq; facilis cōcoctionis, et ita semper procedetis, ut prima concoctio, quæ fit in uentriculo, optime fiat, pariter, & quæ in ambitu totius fit, & celebratur. Sic enim semper adiuuabitis calidū innatum,

& modice calefacietis, cum leuibus frictionibus, cum modico olei, uel amygd. dul. uel chamæmeli. Vinum debilis ſubſtãtiæ debet eſſe, deinde lene, & modice dulce non nigrum, ſed album: cibi quoque calidi & humidi, ut ptiſana alterata cũ modico cinnamomi, et fiat etiam in bono iure pulli, quia ptiſana de ſe frigida eſt, & humida ut ſcitis. cũ p 8. aut 15. dies ita duxeritis ægrũ adiuuando concoctiones omnes, tunc urinæ magis laudabiles apparebunt magisq; concoctæ. tunc uero ad abſtergentia, ad incidentia, & ad aperientia tuto poteſtis accedere, ut quod eſt iam cõcoctũ, natura adiuta poßit expellere: ideo tunc optime poteſtis ſyrupum de fumo terræ, qui abſtergit & incidit, & oxymel ſimplex & ſyrupum de epithym. aliosq; innumeros exhibere, ut quod eſt concoctum expellatur, quodque crudum eſt præparetur, & expulſioni, abſtergendo, incidendo, aperiendo, paratum reddatur. His peractis tunc pharmaca, quæ huiuſmodi humorem euacuent peccantem, & hepar alterent exhibebitis, nec à confectione ipſius Amech diſcedetis, nec à ſyrupo roſarũ ſolutiuo, quo peracto, ſi adhuc ſymptomata perſeuerauerint, nec magna ex parte fuerint remiſſa, iudicabitis corpus illud non eſſe exactè euacuatum. Tunc igitur concoquetis rurſus, ac præparabitis materiam: poſt modo etiam euacuabitis, & tunc poteritis uti illis noſtris ſyrupis, uel alijs conſimilibus: noſtri autem ſunt ita,

Recipe Mirob.citrin.
Chebul. } an. unc. v.
Indorũ.

Contundantur grosso modo, & in libras quatuor, fumi terræ infundantur per diem & noctem postea.

Recipe Polypod.
Folic. Scen. } an. drach. vi.
Epithym.
Liquintiæ drach. i.
Gariophyll. drach. ij.
S. citri
Cinnam. } an. scrup. i.
Epithym.
Cort. Eleb. nig. drach. i.

Bulliant omnia simul usq; ad consumptionẽ tertiæ partis, deinde addantur libræ tres aquæ fumi terræ, & misce pro sex uicibus, & sic si æger fortis, & ualidus sit, poteris exhibere singulis diebus: si uero non ita robustus, alternis diebus tantum: quibus peractis si uidebitis accidentia magna ex parte cessare, tunc alterationi hepatis attendetis, quo facto post modum ad Bexaortica deuenietis, alterabitis autem hepar cum frigidis & humidis, quæ moderate talia sint, & tunc dabitis ptisanam in iure magis longo, & aqueo, & sit uinum magis dilutũ. Quo uero ad medicinas uos exhibebitis, uel syrupũ de Nemphane, et uiolat. compos. & simp. aliosq; consimiles, & cum aquis frigidis & humidis postmodum ad decoctum ligni accedetis. Sed

quoniam ultra iſtud decoctum frequentiſsimus eſt uſus linimenti argenti uiui, & olei de calcantho, ſeu de uitriolo, & iſti uolunt hæc habere proprietatem contra iſtum morbum, & non tantum utuntur argento uiuo per exterius, ſed interius etiam quod peius eſt exhibent, & hoc quia uident quaſdam experientias. Sed quàm difficilis ſit experiendi modus, niſi prudentem medicũ nactus fuerit, legatis Gal. in primo & ſecundo de ſimpl. medic. ubi inquit, q̧ medicus maxime prudẽs, et in logicis uerſatus eſſe debet, ſi debet cognoſcere id quod eſt per accidens ab eo quod eſt per ſe, ideo uos qui methodici eſſe uultis cognoſcere debetis, quare eſt quòd argentum uiuum curat, uel potius curare uideatur morbum gallicum. præterea uideatis Plin. in cap. de lithargyro, licet nonnulli faciant differentiam inter hydrargyrum, & argentũ uiuum dicantq́;, quòd hydrargyrũ eſt id quod arte fit. argentum uiuum uerò eſt id quod à natura, et quod foditur ex mineris, ſed quicquid ſit eaſdem habet uires ſiue foſſum, ſiue arte factum: ſemper enim cuicunq; applicatur repellit, & ſummopere penetrat, & nullum commercium habet præterquam cum auro, & præ nimia ſui frigiditate, et penetrandi ui ſiue hoc habet à ſua forma ſpecifica cuicunq; applicatur repellit, & cum occurrit membris principalibus interficit ſicut uenenum, ideo antiqui abhorrebant ipſum, ſed poſt ipſos Arabes qui maxime Alchimiſtæ fuerunt ita admiſere uſum ipſius, ut & in ſcabie quoq; uterentur, ſed apud

Græcos nunquam uidebitis usum ipsius. Loquor enim de Græcis antiquis sicuti fuit Hipp. Gal. Oribasius, nõ de recentioribus qualis fuit Aetius, Paulus, quoniam illis neotericis Rasim præfero. Alexander etiam Tralianus fuit ex antiquis illis, ideo uideatis Gal. in cap. de argento uiuo: dicit, ego non cognosco hydrargyrum nisi pro ueneno, & nihil aliud de ipso uult dicere. Dico igitur quòd argentum uiuum habet hanc proprietatem repellendi omnia quibuscunq; occurrit, & ideo Arabes in ulceribus putridis, & malignis utebantur, & purulẽtis, cum non possent occrurere cum exiccantibus & abstergentibus, quoniam ex isto locus ab illa purulentia mundabatur, & breui tempore: quo uiso cæpere ipsum extollere, & ad scabiem cum storace, & oleis calidis applicare, & sic multi moderni iuniores, & aromatarij ferè omnes in suis linimentis ad scabiem utuntur hoc: & quod deterius est extinguunt ipsum cum saliua, & cum cineribus, & conficiunt pillulas cum quibus mirifice humores euacuant, & per superius, & per inferius, & est, ac si arsenicum præpararent, quia istud est maxime uenenum. Dicunt autem istud à uirtute occulta sanare morbum gallicum. Inquiunt & hoc experientia constare: sed dico ego & uos uidebitis, si unquam euenerit, ut experiamini, quod non consulo, quòd neutrum horum facit scilicet, nec curat à proprietate manifesta morbum gallicum, nec ullam contra ipsum proprietatem occultam habet, immo est peßimum uenenum, & extermi-

nandum à toto uſu medicinæ, & licet uideatur ipſum curare non tamen curat, & decipiuntur neſcientes diſcernere inter id quod eſt per accidens, & id quod eſt per ſe:nam quia uident quòd exterius, uel interius aſſumptum facit ceſſare dolores, & ulcera clauduntur, credunt ob id quòd ceſſet morbus, ſed non ceſſat: at bene à partibus exterioribus, & ignobilioribus ad interiores, & nobiliores detruditur. procedēte poſtea tempore redit cum ſæuioribus accidentibus, quia hoc uiderunt, & ipſi ideo diuerſos modos applicandi imaginati ſunt, modo præcipitant ipſum, modo adurunt, modo in ſuffumigijs, modo in linimentis, modo per os exhibent, modo illinunt, hoc pacto uidelicet, crura uſq; ad genua, et brachia uſque ad cubitū, quo facto cum repellat omnia quibus occurrit, repellit etiam ad medios uentres, & quandoque ad caput, & ſic tunc ceſſant dolores, & ulcera clauduntur, & alia huiuſmodi per aliquod tempus, & cum iſti non ſentiãtur amplius dolores lætantur, bene comedunt, bene bibunt, bene dormiunt & pingueſcunt, licet non bona pinguedine, ſed potius tumeſcunt, & cum permanſerunt, quatuor, uel ſex menſes, & quandoque annos, redit, & peior priore inuadit, & anhelitus fœtet, gingiuæ corroduntur: unde & dentes longiſsimi apparent, & ſubmarcidi, color prauiſsimus, & fœdiſsimus, quòd ſi iterent linimentum, & bis ter ue, non amplius poſſunt euadere. ideo cum inuncti fuere apparent ſani: quia repellit ad intro, & penetrat. ob id commiſcent cum oleis ca-

lidis, & cum oleo decocto, cum ol. laur. cum ol. de terebinthina, cum adipe ursi, anseris, cum butyro, & faciunt infinitas miscellas, & utuntur linimento Io. de Vico, quod referunt illi Romæ multam pecuniam dedisse. at hoc faciunt medici, per ignorantiam methodi, & ita ego quoque cum iunior essem, usus sum isto linimento, & uisus sum sanasse aliquos, cum tamen non sanauerim: nam redibat postea deterior priore, ideo cum hoc uiderim, conuerti me ad Gal. hoc animo ut nisi methodum in hac arte, & rationem qua utitur ipse inuenirem, ut derelinquerem. ipsam tandem Deo iuuante uidi et inueni, ueram uiam à qua illuminatus fui, & cognoui, quòd argentum uiuum repellit omnia, quibus occurrit, dilatatq; uias, & expellit quidquid humoris inuenit, & non cessat iste motus, dum humor crassus, adustus, & pituitosus, expulsus sit ui ipsius, & quia illinuntur extrema, ideo humores coguntur retrocedere, & deuenire ad uentrem medium, & thoracem, unde qui taliter inunguntur plurima excernunt per sputum, & ita scopus, & finis huius est, quòd omnis materia ui, & impetu illius argenti uiui, deueniat ad thoracem, & ad stomachum, & ad pulmonem, & inde expellatur. cuius signum est, quòd maxima copia illius humoris, excernitur sine tußi, & sine aliqua excreatione, tenendo solum os apertum. sic igitur thorax impletur illo ueneno, & illa mala qualitate, quæ totum occupabat, sed quàm hoc sit bonum, iudicetis uos. si cum mate-

ria mala tendit de ſe ad ignobiliores partes, uos autem repellitis ad nobiliores, an ſit bene factum, necne. præterea aduertatis, an illa ſit conneniens uia educendi illum humorem, cum debeat hepar euacuari, per conuenientes regiones, & Auic. prima primi, inquit, cum euacuas, caue ne materia tranſeat, per membra principalia, & tu oppoſitum facis, cum tuo argento uiuo, & permanet iam, imò fit fortior, quia ea materia eò truditur, & illa mala qualitas, ubi maiorem facit impreßionem, & ideo iſti habent ſua membra ſpiritualia perpetuo affecta, & uos in primo intuitu, tales cognoſcetis, cum non amplius habeant talem colorem, nec floridum, qualem habere ſolebant, marcidæ factæ ſunt gingiuæ propter humores, qui eas corrodūt partes, ideo dentes longi, & nigri fiunt à fœtidis uaporibus. præterea anhelitus fætet, & calorem innatum ſemper ſopitum habent propter illud uenenū, quod acceperunt, nec bene concoquunt, ſicuti prius: permanetq́; intemperies illa calida & ſicca in hepate, immo aucta eſt multum, ex qua continue multiplicātur peßimi humores aduſti, & plurimi. iſti autem credunt quòd euacuatis illis humoribus ſanantur, ſed oportet reducere hepar ad naturalem intemperiem, ne alios amplius generet uapores malos, ideo non eſt mirum, ſi fiat recidiua, & malignior reddatur materia, quàm fuerat in principio. & ratio quia cauſa in hepate exiſtens perſeuerat continue magis, atque magis, quæ tamen remouenda erat, ſi uis rectè curare. Quare li

cet isti uideantur curari, non tamen curantur, quia nō per se curantur, i. remouendo causam morbi, sed tantum per accidens, recipiendo materiam, & euacuando absque alteratione hepatis, sine remotione illius malæ qualitatis impressæ, & ideo curantur hoc modo, quando sentiunt dolores cessare, & ulcera uident consolidari, & reliqua symptomata tolli per aliquod tempus, quia modo euacuatur quidem, sed non per conuenientes regiones, & deterius fit illud quod acquisiuere per assumptionem illius, ideo caueatis ab usu argenti uiui, & præcipue à pillulis illis, cum sint uenenum manifestum. Hucusq; igitur habuistis essentiam huius morbi, & signa, & indicationes quæ ab his sumuntur, sine quibus curari non potest sicuti febres, & inflammationes, quoniam gradus lapsus præcisè dignosci non possunt, neque etiam gradus naturalis temperamenti, dignoscere ualemus, sicuti Gal. in procem. ad Glauc. asserit. aliorum autem morborum, licet non poßimus exquisitè lapsus dignoscere, quia tamen non faciunt magnam impreßionem, quemadmodum facit iste peßimus morbus, quia uel cito interficiunt, uel sanantur cum contrarijs, tamen occurrentes depellimus ipsos, & hoc quia non infixere formam suam in membris, sed si in hoc, & in alijs uenenis sciremus gradū lapsus, & formam illam specificam, forte cum ijs quæ ab indicationibus sumuntur eam tollere possemus nec // credendum, quòd temperatura ipsa sit forma, sed bene ab ipsa sequitur immediate forma substantialis, sed

Cura morbi tollant.

cum formam istam ignoremus, ideo non possumus eam tollere, cum indicationibus, nec credatis quòd etiam aliosq; plurimos tollamus, ob id quia sciamus præcise lapsus gradus illorum, sed occurrentes ipsis cum contrarijs, quia non fecere illam malam impressionem, quapropter eos tollimus, sed iste morbus gallicus, quia fecit impreßionem illam, ideo non potest remoueri, nisi cum æquis uiribus, quæ uere cognoscuntur, ergo cum indicationibus curatiuis nõ potest tolli, ergo ad aliud oportet deuenire, scilicet ad antidota, & ad ea quæ à qualitate occulta operãtur recurramus, quòd si fuerit in principio, ita ut non fecerit illam magnam impreßionem, possumus tollere cum indicationibus, ut si exquisitißime euacuabitis ipsum corpus, & alteretis hepar ad frigidum, & humidum, uos refrenatis formam nondum infixam, sed cum morbus est confirmatus, tunc oportet ad antidota accedere, & hoc est lignum indicum, quod nam sit istud lignum, an apud nos reperiatur tale, & Veronæ, est enim lignum, quod Eganum appellãt, quod facit siliquas, in quibus sunt semina parua, & folia rotunda, & magis rotunda, quàm sint folia hederæ craßiuscula, tamen lignum illud est solidißimum, ita ut uix poßit incidi, & grauißimum, ac ponderosum interius nigredinem habet, & tandem in eo reperiunt omnes conditiones ligni, quod nascitur in India, adeo similia sunt. An uero habeat eandem uirtutem, cum ligno Indo, hoc ignoro, & forte propter diuersitatem regionum, non

Cura morb gal nõ toll cum ind curatiuis

lig Eganũ.

habet easdem uires, tamen non expertus sum, satis est quod illius ligni Indici, magnam habemus copiam, quod est antidotum huius morbi, neque hoc facit propter qualitates manifestas, quia ut ex gustu per regulas Gal. nobis traditas, in lib. de simpl. medicamentis siccißimæ, & calidißimæ substantiæ est, nam amarum est eius decoctum, cum acrimonia erodente, & ita erodente, ut sit calidum, usque ad tertium gradum, & habet partes heterogeneas, habet enim partes subtiles, in quibus fundatur illa acrimonia, & terrestres adustas, in quibus amaritudo, & hinc est, quòd sustinet tantam decoctionem, & si decies decoxeris, paulominus amarum spissum, & acre erit, quàm fuerit primum. & uix ab eo uirtus potest extrahi, & uidi aromatarios, qui decies uendiderunt idem lignum, ideo cum uultis esse fideles uestris ægris, & honorem adipisci, iubeatis, ut decoquant in domo sua. Cum igitur habeat istas qualitates, non tantũ non deberet curare istum morbum, quia ex cal. & sic. intemperie hepatis est, sed cum tale sit potius deberet augere. ideo non à qualitatibus manifestis operatur, sed à forma sua specifica, sicuti etiam multæ aliæ medicinæ. Cum igitur operentur à qualitate occulta, si istud decoctum exhibueritis, antequam remoueritis omnia impedimenta, multa incommoda, & mala insurgent absque ulla utilitate, quia forma illa specifica, à multitudine humorum obtunditur, præterea cum non poßit, cum sua qualitate occulta, & forma specifica operari, cum qua

litatibus manifestis. s. cum cal. & siccitate substantiæ operatur, & inflammat hepar, & sic, qui exhibent antequam corpus sit exacte purgatum, & mundum, plus nocent quàm prosint. si uero exquisitißime euacuatum fuerit prius, tunc prospere res succedet. ideo nunquam exhibeatis tale decoctum nisi prius corpore exquisitißime euacuato, & prius peractis ijs quæ dixi. sed quando uarius est usus istius ligni, ideo duo uerba dicam de hoc, nam uideo multos eosq; insignes medicos uti hoc ligno, cum uino, & decoquunt ipsum cum uino, eoq; aromatico, & maluatico etiam, & exhibent absque ratione ac sine methodo, unde destruunt omnium temperaturas, & non solum, cum uino, sed admiscent etiam calida aromata, quale est cinnamomum, & alia huiusmodi, & non tantum aromata calida, sed etiam medicamenta cal. & euacuantia, ut epithymum, diascere, & quod deterius est, ea etiam quæ molestissime euacuant, sicuti est scamoneum, colocynthis, helleborus. Vnde componunt medicamentũ, quod quidem est uenenosum, & quidam ex nostris, qui ex assumptione istius uini, ita adustus, et exiccatus est, et ad nos acceßit, ut uix spatio sex mensium potuerim eũ refrigerare, & humectare, & exhibui ea frigida medicamenta, quæ certe alium interfecissent, & aromatarij timebant sibi ea præparari, cum dicerent se nunquam uidisse corpori alicui humano, tam frigida exhibita, & tamen uix potui ipsum refrigerare. Sed dicet quispiam, uellem scire, unde nam est iste malus usus, &

unde emanauit. Dico, & credo fuisse quempiam excellentem medicum, qui artem, & medendi methodum calleret, qui cum inuenisset quempiam laborantem tali morbo admodum refrigeratum, uel ex longitudine morbi, uel ex ætate, ut nihil ferè haberet caloris, præterea totus gummosus esset tophosq; in toto haberet, & humores per uniuersum crassos, frigidosq;, ideo cum uideret talia, forte quòd iste eruditißimus, & prudentißimus medicus exhibuit istud decoctum cum uino, & proposuit, quia uidemus, & nos aliquos ita maleficiatos, qui nullam ferè caliditatem habent, & loco sanguinis pituitam generant quemadmodum Limaciæ, & Cochleæ: in talibus conferre posset, quia indicationes hoc probãt, quia cum sint frigidi, & humidi, ergo cum cal. & sic. reducendi sunt, ad temperamentum, ideo si inuenietis tales, in quibus reliqua omnia frustra sint facta, tunc poteritis hoc facere, sed aduertendum hic unum quòd mihi istud uinum non placet, quoniã ægritudo ista est in neruis, & membranis: scitis autem quantopere Hipp. Gal. Auic. Diosc. & alij omnes detestantur uinum in morbis neruorum, ideo præ oculis hoc habendum est, quod tamẽ si uolueris exhibere caue ne exhibeas iuuenibus cal. & sic. temperaturæ, & in tempore, & regione calidis, quia multum lædes. nam in isto ligno sunt duo, est uis calefaciendi, & exiccandi, & est forma specifica, qua sanatur morbus iste. si qualitates manifestæ superauerint, tũc magis nocebis: si uero forma specifica superabit, tunc sanabis, sed ca-

ueatis ab usu istorum antidotorum, sine methodo, & distinctione, quia semper plus damni afferretis uestris ægris, quàm iuuamenti. ideo si debetis, istud decoctum exhibere iuueni, & habenti temperaturam cal. & sic. in tempore etiam cal. & sic. tunc remittatis acrimoniam suam, & caliditatem ipsius, in aquis frigidis, & humidis, si uero fuerit corpus humidum, & non calidum, & uelitis aliquantulum calefacere, decoquetis id in aqua communi, quia ipsa recipit omnes impreßiones, licet mille calida in eis decoxeris, nunquam ab eis frigiditatem remouebis, & ego superioribus annis M. D. Io. Ioachimum habui laborantem tali morbo, & medici exhibuerunt decoctum in aqua communi, licet sit senex, tamen, quia est cal. & sic. temperaturæ, ideo iußi decoctum fieri, in aqua Endiuiæ, & cum hoc decocto totus refrigeratus est, qui cum prius pallidus esset, rubeus effectus est, ideo & uos ita facietis. Caueatis ne qualitates manifestæ superent occultam, quia sic inflammabitis potius, si uero forma specifica superabit sanabitis. Hactenus habuistis essentias huius morbi, & quoniam re est uia remouendi istum morbum una per indicationes, sicuti faciunt dogmatici, in omnibus morbis, à natura morbi, quia morbus est intemperies cal. & sic. in hepate redacta ad certam formam nobis ignotam, nec credendum, quòd ualeat consequentia hæc, quòd ubi est intemperies cal. & sic. in hepate, ibi sit morbus gallicus, quia lepra, & alij morbi proueniunt ab intemperie cal. & sic. hepatis, sed

ſecundam diuerſos gradus impreßionis, diuerſas facit ægritudines, cũ igitur hic ſit intemperies cal. et ſic. hepatis per illam cõmunem dignitatem, contraria contrarijs curãtur, ergo cum contrarijs debetis procedere, ſed cum hic ſit intemperies, eſt etiam plenitudo in toto quod indicãt dolores, puſtulæ, ulcera, gummæ, & defluxus pilorum, quoniam iſta ſunt ſigna fluxionis. fluxio autem eſt, cum materia, ergo ſi eſt fluxio, adeſt etiam materia, ſed ubi adeſt materia, ſumitur alia indicatio curandi in eodem fundamento multitudo curatur, & tollitur cum ſuo contrario, ſcilicet cum euacuatione. ſic enim fit à natura morbi à quo ſumuntũr duæ indicationes, una euacuandi, altera alterandi. Sed à qua natura incipiendum eſt? Videatis Gal. in tertio uerſi. ubi inquit, quòd ab ea debemus incipere, ſine qua reliqua non poteſt tolli. Hic autem remouenda eſt multitudo, & mala temperies exiſtens in hepate, debetis uos ab euacuatione incipere, quia niſi euacuetis humorem peccantem non poteritis alterare ipſum hepar. primo igitur euacuabitis, deinde cum contrarijs alterabitis, ſed quia exacte non poteſt tolli hæc intemperies, propter impreßionem: quia forma huius ægritudinis eſt etiam ignota nobis, ideo ad antidota recurrendum, quod eſt lignum Indianum, quod experientia conſtat tollere iſtum morbum, non propter qualitates manifeſtas, ſed quia tale, id eſt à proprietate occulta, & à forma ſpecifica, & hoc eſt, quia non attingimus ultimum gradum lapſus, & formæ huius morbi, nam

ſi cogno-

si cognosceremus formas specificas cuiuslibet uestrum cognosceremus etiam cognitiones cuiuslibet. Verum quia ultimæ formæ morborum, & maximè istius, & aliorum sunt nobis ignotæ, ideo coniectura tantum, & à posteriori est procedendum, & ideo inuentum est hoc lignum quod formæ huius morbi est contrarium, quia uidemus quicunque hoc assumpserunt, seruatis seruandis, & si non prima uice, saltem secunda, tertia ue, uel etiam quarta assumptione sanati sunt, nisi ipsi sint tabidi, & intemperies in corde iam sit confirmata cal. & sic. quia tunc non recipit curam, sed ubi non sit in corde impressa illa uenenosa qualitas, & uobis ægri, & aßidentes, & instrumenta commoda fuerint, omnes prorsus sanabitis, & diximus abstinendũ esse omnino à decocto ligni, cum uino, diximusq́; quando conueniret, nisi esset periculum illud de uenenis, cum scilicet corpus esset admodum refrigeratum, uel propter longitudinem ægritudinis, quæ resoluerit calorẽ innatum, & si quod generat ille calor, illud adustum generat, quia alteratum est, tamen si dabitis uinum, cũ sit calidũ calefaciet, & penetrabit per partes, ad quas aqua propter maximã pituitæ copiã non posset penetrare. præterea uinum confortat spiritus, & calorem innatum, & sic manifestißime calefacit, propter qualitates manifestas, & uini, & ligni, & propter formam specificam ligni morbum tollit, & sanat. Sed uideamus an illa medicamenta cal. ut cinnamomum conueniant. Dico, quòd non. quia non debent qualitates manifeste augeri, ita ut superent illam formam specifi

cam, sed potius corrigi, quia si augeretis qualitates manifestas, adderetis qualitatem igneam ipsi decocto, & si exhibueritis iuueni, & temperaturæ cal. & sic. uel in tempore tali plurimum lædetis. An uero medicamenta quæ euacuant, conueniant tam in decocto cum aqua, quàm cum uino. Dico quòd non. Quare? quoniã iam dixi, quòd hoc lignum agit, & tollit morbum à forma, si sic, ergo totum debet prius esse euacuatum antequam exhibeatur, quo omnia impedimenta sint ablata, ut cum forma sua poßit bene agere, si igitur erit euacuatum, & uelis euacuare, non ne contra Hipp. & Gal. & rationem, & contra omnes facies? Nam quid est deterius, quàm medicinas soluentes purgato corpori exhibere? quod ita sic uidens Hipp. in eo Aphor. Helleborum dare purgatis conuulsiones facit. quòd si non fuerit euacuatum, non debet exhiberi istud decoctum, quia alteratio non debet cum euacuatione permisceri, nam si fuerit mala complexio in aliquo membro, quis est tam rudis medicus, qui prius non uelit euacuare, deinde alterare membrum, sic & uos facere debetis, non autem permiscere euacuantia cum alterantibus, quia illa alterantia non poterunt agere, ideo caueatis ab hoc usu, quia peßimus est, uacuetis prius deinde alteretis, & nunquam conuenit uti isto decocto cum medicamentis euacuantibus, & soluentibus, raro etiam cũ uino, & in quibus casibus diximus, sed semp in eo est nocumentũ de neruis, et morbus iste occupat mẽbranas præcipue, quæ sunt neruosæ, ideo in aqua decoquetis, & si uultis calefacere aliquantũ, & exic-

care, ut si sit æger non iuuenis, & in tempore hyemali & temperaturæ ad frigidum potius declinantis, quàm aliter, tunc in aqua cõi decoquas, quia aqua cõis recipit oẽs impreßiones: si uero fuerit iuuenis, & cal. tẽperaturæ, et in æstate, tunc in aqua, uel boraginis, uel cicoreæ, uel fumiterræ, uel portulacæ decoquetis. licet ego nunquã transcenderim illas tres, tamẽ posset esse æger adeo calidus, ut egeretis sũma refrigeratione, nũquã tamen expertus sum, nam ista aqua resistit caliditati ipsius ligni, si enim accipiatis drach. v. opij, & drac. x. piperis, & simul ponatis, & decoquatis semper illa uis frigida resistit illis. x. calidis, & inducet stuporẽ. accipiatis etiam philonium romanum, & consideretis ingredientia, si Theriacam nouam in istis longe plurima cal. quàm frigida inuenietis, tamen habẽt maximã uim refrigerandi, & inducendi soporem. Hic cadit dubitatio, & maxima quõ aqua, s. cum sit primum frigidorum efficiatur materia ad oẽs formas suscipiendas. Sed si frigiditatem actualem, uel potentialem haberet, inesset illi forma propria, & ageret semper secundũ illam formã, & eodem modo, & si decoqueretis calida in ea semper refrigeraret, sicuti ab ea nunquam potest remoueri humiditas actualis, quia si decoquetis quæcũque sicca, semper erit humida, & nihil difficilius immo nullo pacto remoueri potest ab ea humiditas, frigiditas uero facillime remouetur, & tamen dicitur, quòd aer est primum humidorum, & aqua primum frigidorum, & Gal. uisus est cognouisse hanc difficultatem, quia nullibi curat frigiditatem aquæ, nisi quæ actualis

est, quando actu calida est eam abhorret, & in corpore calido, quod non facit in reliquis, quæ prima frigida sunt. nam succus papaueris, ut primo & secundo de tempore. licet actu calidus sit, tamen quia potentia est frigidus semper refrigerat, & sic uidetur ꝙ Gal. confidat se, tantũ in actuali frigiditate aquæ non in potentiali. Cum igitur decoxeritis lignũ in aqua communi, & eã exhibueritis corpori calido, in tempore calido, urinæ minores efficiẽtur, & rubeæ, & æger maxime sitiet eiusq; corpus incalescet, & tandẽ febricitabit, & tabescet, unde cogemini abstinere ab eo, ideo utemini aquis destillatis, & simplicibus frigidis, ut End. Boraginis quia tales sunt primæ frigidæ, & resistunt calidis, quæ in ipsis decoquuntur. Quodnã uero lignũ accipiẽdũ sit docebo. uolo, ut accipiatis quod est maxime nigrũ unctuosum, & ponderosum, quia in humiditate illius stat illa forma specifica, quoniã humiditas, cum partibus terreis, ita permiscetur, ut causet, et faciat nigredinem illam, & accipias lib. i. istius ligni non minutißime triti, sed in laminas incisi tenuißimas, quoniam in trituratione illa adeo tenui exhalat quid de forma ipsius, & remanet pars terrestris, & ideo non debetis seruare sic incisum, quia tanto magis partes illæ tenues exhalant, ab eo in quibus est forma illa specifica, ideo non nisi unam lib. pro quaq; uice facietis præparari, & tunc illico in aquã infundi, non tamen debet crasse admodum esse incisum, quia tunc aqua per eius substantiam non posset penetrare, & per consequens non poßet auferre ab eo partes illas subtiles & for-

mam suam specificam, sed debent esse latæ partes illæ ligne, quoniam latitudo illa non impedit, quin deco-ctio poßit auferre omnes partes, nec ita facile potest, ab eo uirtus resolui, & bene dicebat Arist. in primo meteor. loquens de putredine, nam quodlibet putresci bile, quanto amplius, tanto magis putredini resistit, ideo plurima copia aquæ plus resistit putredini, quàm parua copia, propterea accipiatis aquam laudatißi-mam, & subtilißimam, & pro qualibet lib. ligni. xij. lib. aquæ sumito, & ponas in olla stricti orificij, ut mi nus poßit euaporari, & cooperias, & illa olla de-bet usque ad XVIII. & ad XX. etiam lib. aquæ continere, ut supersit uacuum pro ebulitione, & cum per diem naturalem infusam tenueris, istud lignum appones igni lento, & claro, quia facilius extrahetur quidquid in eo est uirtutis, & non tantum euaporabit, & decoquas usquequo tertia pars decreuerit, & acci pio ego xij. lib. ut octo poßint superesse, quia & ari-ditas ollæ, & ipsius ligni semper duas lib. aquæ assu-munt. Deinde facta leui colatura repones, in uase ui-treo bene obturato, & iste erit pro uno syrupo, & una libra dabitur pro singulis uicibus, & mane, & uesperi, & semper debetis aduertere, ut cum assumet syrupum, semper per horas tres permaneat, antequã cibum assumat, & sub actuali caliditate, uel tepidum exhibebitis, & si fuerit in æstate, quia omnia nunc sunt calida, quia tepidum erit sese sic poteris exhibere, sed quoniã isti iubent, ut æger si est in lecto quiescat, & si non cubat, iubent ad cubile accedere, & cooperiri,

quamplurimis pannis, quo excitetur ſudor, & etiam uiolentißime. ſed hic committitur error primo, quia ſudor eſt actio materiæ, quæ debetur ultimis excrementis, quæ in ambitu corporis exiſtunt, & ultimo, hoc facit natura. nam imprimis excernit, quidquid eſt in inteſtinis, & in uentriculo, & in primis uenis per ſeceſſum, ſecundo per urinam excrementa uenarum, ultimo per ſudorem excrementa quæ ſunt in ambitu totius etiam per inſenſiles tranſpirationes excernit, ſed iſti faciunt, quòd ultima euacuatio ſit prima, & omnino contrarium faciunt eius quod intendit natura. præterea quandoque natura expellit ſuas ſuperfluitates per urinam, quandoq; per ſeceſſum, licet hoc raro contingat, quandoque per inſenſilem tranſpirationem interdum per ſudorem, ſed iſti cogunt ſemper ſudare, & nil deterius eſt, quàm diuertere naturam, ab eo quod intendit, ſed debemus potius eam permittere, & ſi non poteſt ſupplere. illi opem ferre debetis, nõ autem cogere ipſam, ideo habetis ut in quiete permaneatis, poſt ſyrupum in loco etiam calido, quo natura poßit etiam agere operationes ſuas, & ſi prouocaret ſudorem permittere, ut ſudet, & nudare hominem debetis, & ſi defecerit auxiliari ei, & non cogere ad id quod non eſt apta, quia non eſt forma uniuerſalis, regẽs ſingulas partes noſtri corporis. Quod ad ſecundam decoctionem, accipiatis idem lignum, & decoquatis in lib. aquæ uſq; quo quarta pars decreſcat, & tamẽ cum tanta diligentia, & ſi uelletis diligentius facere poteſtis accipere mediam lib. aquæ decoctæ, &

tunc facietis fortißimã expreßionem, ut in prima etiã decoctione, & utamini etiam ista pro potu, & si ingrata uidebitur, addatis parum sachuri, sed simplicẽ magis laudo, & mihi placet, quòd omnino à uino se abstineat. Victus uero ratio limitanda est, sicuti Hipp. & Gal. in lib. de uic. ratione secundum ægri uires, nam si robustæ erunt uires tenuißima erit diæta, si debiles pleniori utamini uictu, etiam cauere debetis, ab errore in quem omnes communiter incidunt, quoniam statim à principio tenuißimam diætã iubent, & male faciunt, tam quia postea in statu coguntur cibare, & dare carnes, præterea ad insueta hominẽ deducunt absq; aliquo medio, ideo in primis, octauis, uel decimis diebus dabis carnes pulli iuuenis, uel hædi, uel auium paruarum montanarũ, in parua quantitate, & dimidium panis, quem consueuerat comedere in sanitate, & etiam quandoq; uinum admodũ dilutum, & pauciferum. trãsactis istis proximus decem diebus subtrahetis, & carnes, & uinũ, & tamen panem biscoctum exhibeatis, secundum quòd uires tollerant, ut duas uel tres uncias, pro qualibet uice, et quia ut plurimũ istis aluus astringitur, ideo exhibeatis duas, uel tres uncias paßularũ dulciũ, ut uenter magis lubricus reddatur, & iste panis biscoctus, & maxime bonus, est. n. bis fermentatus, & optime coctus nullũ excrementũ habet facillimeq; concoquitur, & optime nutrit, & singulis quibusq; decimis uel octauis diebus, si corpus non fuerit illi obediens exhibeas uel unc. i. flor. cass. uel elect. Lenit. uel aliquid tale, quod non trahat à longinquo, sed tantum

educat superfluitates existentes in stomacho, in intestinis, & in primis uenis, ubi uero eris in tertio, & uidebis satis eductum de materia, uel per urinam, uel per sudores, uel per insensibilē habitum, poteris ampliare cibum, & si uideris, quòd natura non cessat, ab euacuatione non immutabis uictus rationem, imò potius subtrahes, quia prope statum, & in statu detrahendū est, de cibo, & sic procedes usque ad quadraginta, & quinquaginta dies, quandoque etiam si opus fuerit, usq; ad sexaginta, postea paulatim incipis nutrire hominē, paulatim, inquam quoniam ut plurimum delinquunt isti, & sic sanabis. Sed quoniam est aliud lignum nuper ad nos allatum quo utuntur, ut aiunt felicißime Romæ, & uidetur radix cuiusdam cannæ, & est longitudinis unius digiti longi, & nō admodum crassum, ac etiam insipidum, sicuti canna, & dicunt, quòd decoctum istius mirabilem qualitatem habet, nos uidebimus an bene succedat in posterum. interea utamini isto quod scimus tollere morbum gallicum ex longo usu. Et hæc satis dicta sint de hac materia.

FINIS.

IOANNIS BAPTISTÆ MONTANI VERONEN. DE EXCREMENTIS.

DE VRINIS CAP. I.



OT esse genera excrementorum, quot sunt genera ipsarum coctionum, satis constat, sed quoniam concoctiones non sunt nisi tres igitur excrementa erunt tantum tria. Prima concoctio fit in uentre, & eius feces mittuntur per aluum: Secunda fit in hepate et in uenis meseraicis, & huius excrementa sunt bilis flaua & atra & sanguinis aquositas: bilis flaua existens in profundo hepatis ad felleam uesicam, atra uerò ad lienem tendens, & aquositas sanguinis ad uesicam trãsmeans, quæ deinde per urinam emittitur: Tertia & ultima est uniuersalis, quæ fit per omnia membra, & ideo uniuersalis dicitur, quoniam fit in omnibus membris. Dico quod dicta est uniuersalis per indifferentiam, quia non fit magis in una parte quàm in alia. Excrementa istius tertiæ concoctionis sunt sudores, qui difflantur per halitum. Et sic erunt tria genera excrementorum, quæ respondent tribus concoctioni-

 bus.

bus. Sed ego adnotaui quod antiqui uoluerunt tantum esse tres concoctiones: recentiores uerò & omnis schola Arabum & ipse Actuarius ponunt quatuor, & diuidunt secundam, quæ fit in hepate, in duas, primam et secundam. Prima fit in concauo hepatis, & excrementum huius est bilis ad lienem tendens: secunda in conuexo hepatis unde aquositas illa sanguinis transmittitur ad uesicã, & excrementa sunt urina. Et sic secundum istos erunt quatuor concoctiones. Et sic possemus etiam ponere quinq; sed nequaq̃ sunt necessariæ, idq; probo: quoniam omnis concoctio distinguitur à fine, sed nemini dubiũ est, quod non sunt nisi tres fines, ergo non erunt nisi tres concoctiones. Minorem probo: Nã primò ingeritur cibus per os & fit chylus in uentre, qui dicitur chylus ptisanarius, quia similis est ptisanæ, & iste est finis primæ concoctionis, cuius excrementa necessariò sunt sicca: quoniã ibi tantum relinquuntur partes terrestres. Finis secundæ cõcoctionis est sanguificatio, propterea est prima, ẽt si tres essent efficientes illud, tamen quoniam unum solum est obiectum. s. sanguificatio, unus erit tãtum finis, etsi melius aut peius fiat sanguificatio, finis tamen intentus unus est. Et quũ sumitur ille chylus in meseraicis uenis iã incipit sanguis fieri, et ibi fit præparatio quædã, sicuti fit in ore præparatio quædam ad cõcoctionem uentris, ut habetis 2. De facul. naturalibus. Sed quid contingit anteq̃ sanguis sit perfectè concoctus? fiunt excrementa craßiora, quoniã sanguis, ut dixi, non est exquisitè concoctus fit, primum excrementum, cholera: deinde fit secundum, quod est atra bi

lis:

lis:tertium, quod est aliquantulum subtilius, & aquositas sanguinis dicitur. Tertia concoctio fit in uenis, & in unoquoq; membro, cuius excrementa sunt uapores & sudores defluentes percutim. Et sic habetis quod non sunt nisi tres fines: & ideo non sunt nisi tres concoctiones. His sic habitis & declaratis, primò supponatur tria esse excrementa: primum siccum, & de hoc satis dictum, de tertio alio tempore nobis sermo erit, de secundo nunc dicemus. Et notandum est, cùm excremẽtum humidum tres habeat species, bilem, melancholiam, & sanguinis aquositatem, dum corpus est sanum unumquodlibet est separatum, & non commiscetur, sed transit ad suum locum, illi statutum à natura: quod si contingat in corpore aliqua alteratio, tunc omnia permiscentur, & bilis cum aquositate, & aquositas cum atra bile, & sic fiunt uariæ miscellæ, de quibus agemus suo loco. Præterea cum isti humores deueniunt in uentrem, excernuntur uel euomuntur, si per corpus totum disperguntur, conuertuntur in uapores. Quando uerò deueniunt ad aluum dictum est superius, quando uerò ad uesicam, uariant urinam in colore, in substantia, & de his nunc agemus. Et his apparet primò quæ sit utilitas in conspiciendis urinis: quoniam si est uerum quod huiusmodi urinæ ostendant dispositiones hepatis, uenarum & etiam arteriarum, ut uoluit Hippoc. sequitur etiam ut omnes ægritudines indicent & ipsarum urinarum omnes affectus tam naturales, q̃ præter naturam, qui sunt in sanguine aut spiritibus. Et quisque prudens & sagax medicus potest inde cognoscere omnes corporis affectus, li=

Urinæ quod ostendant

cet non per se, sed tamen mediatè. Et plures sunt etiã his nostris temporibus qui deuenerunt in talem habitum, ut perspecta urina, indicarẽt omnes corporis dispositiones, ut etiam nos ostendemus. Apparet ratio, certitudo & firmitas cognitionis habitæ ab urina, quia nulla signa sunt certiora in naturalibus & ex naturalibus nullum certius urina, quum immediatè discedat à sanguine. Affectus animi non possunt ita certò cognosci à proprijs fontibus & membris, ut pulsus in una hora millies mutabitur, quod declaratur exemplo illius, qui cognouit affectum animi & amorem illius mulieris ex solo pulsu: quoniam statim mutati fuerunt pulsus, & sic non possunt sumi signa certa ab alijs, sicut sumuntur ab urina: quoniam affectus sunt occulti. Igitur cùm urina non poßit ita in instanti mutari, certius erit signum. Præterea cognitio ab urina est manifestior, certior, commodior, honestiorq;, quàm reliqua: quoniam non ita commodè possumus inspicere feces, tum quia fœtent, tum q̄ aliquid aliud incommodi habent: at urina adfertur in uase mundo, non adest fœtor, & unusquisque, & etiam nobiliß. uiri delectantur scire differentias & significationes urinarum: ex ipsa enim habetur exquisitiß. et distinctiß. cognitio intrinsecorum affectuum. Nã ostendemus in ipsa colorem, liquorem, & odorem, aliquãdo saporem. Nullum est excrementum, quod habeat tot differentias atque urina, neque ab aliquo alio possunt sumi tot indicationes, quot sumuntur ab ipsa urina, ergo omnibus præferenda est. Sequitur ergo quod iniquè Erasistratus & Quintus dicebant, ut Galenus 5. De sanit. tuẽ

da

da ad finem inquit: Vrinarum differẽtias pertinere ad pi ctores, sed q̃ hoc falsum sit nullus ambigit, cùm duo præcipua sint signa, quæ indicant affectus corporis, pulsus, & urina, ad quæ oẽs medici confugiunt. Sed quæritur nunc, quod nam ex istis duobus sit certius ac præferendum. Sed illi qui ita dubitant, uidentur nescire rem, & tantundem est, ac si quis quæreret, uter fuerit excellentior Plato, an Demosthenes, isti non sunt comparandi, quia sunt diuersi, & unusquisq; illorum est excellentiss. in diuersis tamen, Plato in philosophia, Demosthenes in oratoria facultate, & hæc non est bona comparatio: debet enim fieri inter similia, non autem inter dissimilia. Nam signa quæ sumuntur, quædam ab actionibus sumuntur, & quædam à passionibus. Actiones quædam animales, quædam naturales, quædam uitales sunt, singulæq; habent propria membra: Animalis cerebrum, Naturalis hepar, uitalis cor. Singulæ istarum in proprijs membris dupliciter considerãtur: primo quæ sunt in ipso & ab ipso, ut in cerebro imaginatio, discursus & memoria. Secundò quædam sunt ab ipso, sed non sunt in ipso, ut sensus habent principium à cerebro, sed fiunt in proprio instrumento. Sic uirtus motiua est à cerebro sed fit per neruos & musculos. Ita etiam in corde irascentia, est ita propria cordi, ut sit ab ipso & in ipso, ita etiam generatio spirituũ: motus autem arteriarum, est benè ab ipso, sed non in ipso: ita etiam dicendum est de ipso hepate: cupiditas & sanguificatio fiunt etiam ita ab ipso & in ipso hepate: sed sequestratio sanguinis ab aquositate & distributio sunt benè ab ipso, sed non sunt

in ipso, sed in proprijs instrumentis. Sic ea inditia, quæ sumuntur ab opationibus quæ sunt ab ipso primario, & in ipso, sunt certiss. reliqua uerò mediatè ab ipso ueniunt, ea non sunt ità certa. Sic cum motus erit affectus, certũ est qđ erunt affecti musculi & nerui, an modò sit affectio in cerebro, hoc non est certũ signum: quod dicitur de cerebro, dicendum ẽt de reliquis membris. Sic ẽt quando non mutantur arteriæ secundum motum suum naturalem, non dubitãdum, qui in illo loco sit affectus: sed an sit affectus in suo primario, incertum est. Potest.n.esse, quod alteretur motus arteriarum, & non mutetur motus cordis. Et sic de hepate, quando afficitur sanguificatio, tunc est uitium in hepate: at quando uitiatur sequestratio aquositatis à sanguine, tunc nõ est signũ, qđ necessario sit uitiũ in hepate, licet fortasse sit aliqua mala qualitas. Quid igitur concludendũ est? an pulsus, an urinæ sint præferendæ? Dicimus, quod si uolumus hoc quærere, & ista similiter comparare, qđ sint in æquali gradu certitudinis. Quoniam pulsus est ab ipso corde, sed non in ipso, & indicat arteriam uel sanam uel læsam: urina item est ab hepate, & quanta est proportio pulsus ad cor, tanta est urinæ ad hepar: urina.n. præferẽda est in una re, pulsus uerò in altera. Sed posset aliquis dicere: nos quærimus in febre particulari, utrũ habeamus certius signum à pulsu, an uerò ab urina? Respondeo, qđ febris dupliciter potest cõsiderari: uno modo, quatenus est calor accensus in corde, & tunc certius signũ habemus à pulsu, quoniã febris sit paßio cordis, & arteriæ indicant magis de affectibus cordis. Sed si consideretis febrem materiali=

terialiter, pro ut habet talem uel talẽ materiam putrescentem, tunc sumitur certius signũ ab urina, quàm à pulsu. Et ratio est, quia cũ urina sit colamentũ sanguinis immediatè ab ipso proueniẽs, manifestũ est, quòd humorũ illi, qui sunt in uenis, qui sunt materia febris, magis indicabit urina materiã lorũ putrescentẽ, maximè cùm sit colamentum illarũ materierum existentium in ipsis uenis. Et sic quantũ ad hoc, urina erit certius signũ. Et sic non erit ponenda hæc quæstio, quoniã comparatio est inter diuersa. Sed ut eò reuertamur unde sumus digreßi, tria esse constat excrementa in humano corpore nimiũ diuersa, quæ correspondent tribus concoctionibus. Primũ excrementũ erat siccũ, & hoc emanabat à prima cõcoctione: secundũ uerò excrementum est humidum, et fit in secunda concoctione, quæ est in hepate: tertiũ excrementum est uaporosum, & fit in tertia concoctione, quæ est in omnibus membris æqualiter. Sunt igitur tria excrementa dißimilia, secundũ dißimilitudinẽ trium concoctionum, de primo iam dictum est, de hoc autem secundo humido nunc agendum à nobis est. Vnde, illud obseruari uolo secũdam concoctionem quæ fit in hepate, ut est concoctio sanguinis, habere multos gradus, unũ imperfectiorem altero. Primus enim gradus secũdæ concoctionis est imp̃fectior altero, & fit in simo hepatis, & primum, in substantia hepatis, nam primũ incipit fieri in uenis meseraicis, in quibus est tantummodo rudimentũ sanguinis, postremò transit ad substantiam hepatis, & in sinu adhuc magis elaboratur per concoctionem, & adquirit formam ipsius ueram, dũ

concoquitur generat duo excrementa per ſanguificationẽ ſuperflui in ſeipſo, quæ excrementa fiunt à materia humida & fluida, & reſtant quoq; humida & fluida, hæc ſunt genita ad uſum aliorum membrorum, non hepatis, inq; eo gradu fiunt duo hæc ſanguificationis excrementa, quorum primum eſt colore flauum & ruffum, & in ſubſtantia eſt medium, non enim ualde craſſum, nec ualde tenue, & dicitur bilis flaua: aliud uerò excrementum, & eſt ſecundum à ſanguine ortum, & hoc eſt humidum, liquidum, ut aliud, tamen eſt magis craſſum magisq; terreſtre reſpectu alterius, & iſtud eſt colore nigrum, & tẽdit ad lienẽ, & appellatur atra bilis. Aliud, & dicitur ſecundus gradus concoctionis ſanguinis, qui eſt magis pfectus, & iſte fit in concauo hepatis & in ambitu uenarum, unde fit & tertiũ excrementum, ex hoc ſecundo gradu concoctionis, qui per alterationem maioris & perfectioris concoctionis appellatur excrementum ſeroſum, hoc aũt ſeroſũ excrementum eſt colore rubrũ: quoniã in eo admiſcetur quid de ſubſtantia ſanguinis, & hoc eſt tenuius q̃ flaua bilis & q̃ excrementum nigrum, quod dicitur melancholia. Sic iã apparent tria excrementa, unũ rubrũ & eſt tertiũ in ordine, et dicitur ſeroſum excrementum: Aliud nigrũ, & dicitur humor melancholicus: Et aliud eſt flauũ, & dicitur flaua bilis. Duo fiũt in primo gradu cõcoctionis ipſius ſanguinis, aliud in ſecũdo gradu eius, magis pfecto rubeo, ut diximus, quia in ſe habet partẽ sãguinis tenuiorẽ. Sed aduertendum, quod hæc ſeroſitas rubea expellitur ab expulſiua extra illas uenas tanquam ſuperfluum, quã ſeroſita-

rositatem deinceps renes ad se trahunt, ut 2. De natur. facultat. inquit Gal. ubi est recepta ab ipsis renibus concoquitur. Et sic quoq; serositas hæc in renibus, ut pars subtilior sanguinis attrahitur à renibus & ea nutriuntur, qua nutritione facta in renibus illius serositatis, & dum nutriuntur parte subtili, demittunt deinde partem aliam, & expellunt ad ipsam uesicam, quæ ultima serositas uel aquositas non est coloris nigri, non flaui, non rubei: sed hæc est mera aquositas & omnium tenuiss. ita ut nullum sit excrementum in corpore humano humidum, quod sit adeo tenue. Hæc quidem serositas urinalis est adeo pura & subtilis substantiæ, ut merito debeat dici purum & simpliciter excrementum: nam alia excrementa sunt nutrimenta secundum quid, et non pura excrementa, eo quia cholera flaua excrementum hepatis est, & nutrimentum uesiculæ bilis. Melancholia est quoque excrementum hepatis, nutrimentum uerò lienis. Serosum uerò excrementum, quod est rubeum, est ipsorum renum nutrimentum, & excrementum hepatis, scilicet concaui eius & uenarum. At ista excrementa ultima, scilicet aquositas demandata à renibus ad uesicam, quæ meritò debet dici quartum excrementum, elaborata & reddita pura & mera in sua substantia, ut non sit amplius aliquo modo nutrimentum, sed merum excrementum à renibus ad uesicam delatum, et hoc dicitur aquositas urinalis siue urina, de qua loquuturi sumus in præsenti. Hanc autem non trahit ad se uesica, quemadmodum trahebant renes ad se ut nutrirentur: quia uesica non nutritur ea, imo expulsa ad

ipſam ueſicam, talem aquoſitatem ſtatim expellit, quoniã aggrauat & eſt nocumentum ei, ſi non deijciatur. Et quẽ admodum inteſtinum rectum eſt excrementi craßi receptaculum, quod cùm nullo modo amplius nutrimentum con coquitur, ipſum eijcit: Sic ueſica eſt receptaculum huius aquoſitatis urinalis, quæ urina eſt adeo merum excremen tum, ut ea nutriri nullo pacto ueſica poßit, immo cogi tur ipſam deijcere. Hæc refert habere cognita, quæ & ſi uidentur pauca & modica in principijs, quia breuiter perſtrinxi, tamen ſunt maxime in uirtute, in quibus maxi ma fundantur theoremata de ipſis urinis. Quid enim eſt hoc excrementum ſcilicet aquoſitas urinalis, urina dicta? //Reſpondendum eſt, quod urina eſt excrementum ipſorum renum, & eſt quartum & ultimum excrementum, & fit in ſecunda concoctione ſanguinis, ut in lib. De facul. naturalibus dictum eſt. Nihil aliud ergo eſt, niſi excrementum prorſus inutile ad alendum corpus. De iſto tradituri ſumus doctrinã in particulari, in qua oportet nos recta ratione, arte, & ipſa methodo procedere: quoniam nulla ars eſt, nullaq; ſcientia tradita ſine methodo, alioquin non poſſet diſci: ut igitur nos, ut ſoliti ſumus ubique, etiam in hac doctrina ipſa uia rationabili procedamus: oportet ſcire quòd urina eſt quoddam ſignum, ideo nos ipſam contemplabimur, ut ſignum affectuum intrinſecorum in corpore humano. Cùm autem ſit ſignum, & ſigna ſint in triplici differentia: nam alia ſalubria, alia inſalubria, alia neutra dicuntur. Ideo cùm urina ſit ſignũ erit in triplici differentia, ergo aliæ ſalubres, quæ indi=

cant

cant salubritatem: aliæ insalubres, quæ insalubritatem ostendunt: et nonnullæ dicuntur naturæ, neutralitatem indicantes. Si modò uolumus cognoscere urinas, exquisitè opus est habere has tres differentias, uidelicet, quando aut indicant sanitatem, aut portendunt morbum, aut neutralitatem. Sed quoniam, ut inquit Galen. in lib. De opt. constit. corporis, quod bonum est index sui met, & mali siue regula: itaque primo à salubri urina incipiendum est, & hoc sibi exigit natura. Principiò igitur à salubribus incipiendum, secundo à naturalibus, tertio loco de insalubribus. Et quoniam urinæ salubres adhuc diuiduntur & sunt triplices, aut sunt simpliciter tales, aut salubre ut nunc. Salubres autem simpliciter, uel sunt semper salubritatem indicantes, uel ut multum. De his ergo agemus seriatim: nam primum de urinis salubribus simpliciter, et ut semper, quemadmodum facit Hippo. agemus: quæ quidem salubritatem optimam & exquisitam pronuntiant. Sed quomodo poterimus nos de his urinis loqui, nisi prius habuerimus generales differentias, ex quibus differentijs habitis, habebimus solubritatem, insalubritatem & neutralitatem, quandocunque fuerint. Vnde iudico quòd in urina sex genera perpetuò sunt habenda & seruanda medico. Primùm est substantia urinæ: Et quæ est illa urinæ substantia? Est illa uel tenuist, uel crassa. Sic intelligo substantiam, Crassum enim est quod est corpulentum, quemadmodum est uinum Patauinum. Tenue uerò illud dicimus esse, quod est subtile, sicut est uinum substantiæ aqueæ. Secundum genus siue secunda differentia est 2

in liquore

in liquore ipsius urinæ. Quid autem est liquor? Est qui & à Græcis χύμα dicitur, quando oportet uidere, an corpulentia urinæ sit splendida & candida, an opaca uel obscura, & hoc est benè obseruandum. Tertium genus notandum est in colore. Varij autem sunt colores urinæ: de quibus posteà agemus in particularibus. Quartum genus etiam, quantitas urinæ. Annotandum autem, an sit pauca uel multa. Quintum genus est, odor in urina. Ex odore enim considerare oportet, utrum fœteat uel non. Sapor autem dimittatur illis, qui uolunt urinas degustare. Differentiæ ueræ urinæ sunt primæ quinque. Sextum uerò genus non est de substantia urinæ, & est contẽtum ipsius urinæ, Quod aut terreum est, uel nubilosum, aut feculentum, uel spumosum in summo, aut in medietate, aut in profundo. Sunt igitur sex, quæ ueniunt animaduertenda in urinæ cognitione: Substantia, liquor, color, quantitas, odor, contentum. Circa hæc sex genera oportet prudentem uersari medicum, & multò magis, quàm circa sex genera pulsuum. Eò quia ars est ualde incognita apud nos, et ipsius pulsus primæ differentiæ non rectè cognoscuntur: & si multi profitentur de pulsu, non tamen sunt in eo periti, nec noscunt. Et Galenus dicit se per uiginti annos laborasse, antequàm deueniret in cognitionem Systoles. Qua quidem ignorata, nec ipse pulsus potest dignosci, nec suæ differentie. Tamen Deus scit omnia, an Gale. cognouerit ipsam systolen unquam, necne. At de urinis non est tantus labor & tanta dubitatio. Nam eas uidemus, & considerare rectè possumus: deinde rema-

nent

nent eædem. Ad pulsus mutatur quàm celerrimè, ita ut in minimo puncto temporis alteretur, & ideo cognitio eius est difficillima. His sic uisis incipiemus tractare de signis indicantibus sanitatem in urina simpliciter. Vrinæ autem indicantes sanitatem quales sunt? Dico sanitatem simpliciter: Sunt enim plurimi perspicacis ingenij, qui iam deprehenderunt, quales esse debeant huiusmodi urinæ. Nam puto scire, quòd si uerum est, quòd urina sit quartum excrementum illud secundæ concoctionis, quod dicitur aquositas urinalis: & si corpus erit optimè sanũ, et omnes concoctiones in eo erunt bonæ, et exquisitè factæ. Et si concoctiones fuerint exquisitè factæ et digestæ, ergo excrementa erunt naturalia et optima, cùm oriãtur à dictis concoctionibus, ut iam dictum est. Secundò si erunt bona et naturalia huius excrementa: ergo unumquodque accedet ad propriũ locum, et non peccabunt neque in substantia, neque in quãtitate, nec excernentur in tẽpore indebito, nisi criticè, & omninò erunt sana. Non enim unũ admiscebitur alteri, nec unũ aliquod alterabitur à se, nec ab alio, et unumquodque persistet in sua naturali dispositione. Excrementum siccum & terreum exibit per aluum & feces. Excrementum autem flauum & biliosum recedet ad uesicam fellis. Quod autem nigrum & humidum uidelicet melancholicus humor, exibit per lienem. Pariter aquositas urinalis recedet ad uesicam, elaborata et digesta prius in renibus. Quoniam hi dum attrahunt ipsam aquositatem, primam partem sanguinis subtilis in ea imbibunt, postea demandant aquositatem ipsam meram & puram ad uesicam:

ad uesicam: quæ merum excremētum tunc, et nullo modo amplius nutrimētum est. Si ideò hæc omnia optimè fiunt, quid sequitur? Nimirum quando urina ita est laudabilis, tūc indicat sanitatē simpliciter adesse. Cuius autē substantiæ huiusmodi erit aquositas urinalis? Dico, quòd erit tenuissimæ substantiæ, dico hic, quòd urina erit substantiæ tenuis, respectu aliorū excremētorum humidorū in corpore, Comparando inquam tenuitatem huius excrementi ad aliorum humidorum tenuitatem, dum sit in corpore bene sano: & sic erit talis substantiæ pars talium humidorum excrementorum & respectu corporis optimè sani. Sua igitur tenuitas erit maxima. Si autem concoqueretur urina, hæc quantum ad excrementa præter naturam, urina tunc talis sana erit. Quomodo ad substantiam media exquisitè inter illa excrementa humida præter naturam? Quoniam aliquæ reperiuntur urinæ præter naturales, quæ sunt in substantia quemadmodū propria aqua. Quia dico, quòd urina optimè sana erit tenuißimæ substantiæ, respectu quidem aliorum excrementorum humidorum in corpore optimè sano & non respectu alicuius excessus in corpore. Quoniam excrementum erit naturale, non potest autē esse tale, quum sit præter naturam, et si scio quidē, quod aliqua sunt ualde tenuia, et sicuti aqua: tamen nolo ita tenuem esse: quemadmodum aquam. Sed de naturali aquositate intelligo, quòd sit tenuißima. Diximus iam superius quomodo excrementum melancholicum est crassum, & excrementum intestinorum est terreum atq; siccum, et quòd hæc aquositas urinalis non erat

miscenda

miſcenda cum craßis excrementis, cùm tenuis ſit, & habeat ſua uaſa ſeparata. Cùm autē ſic ſe habeat, ut dictum eſt, ideò erit ſana & naturalis. Quod autem ad ſecundum genus pertinet ſcilicet ad liquorem, urina talis naturalis erit ſplendida & lucida, non opaca, non obſcura. Et quare? eò quia iam experta eſt primam, ſecundā, et tertiam concoctionem factam à calore naturali & ſpirituum copia reddita eſt lucidißima & ſplendens ualde.

DE COLORE CAP. II.

QVOD autē ad tertium genus, ſpectat: Cuius .ſ. coloris ſit urina dicemus infra. Eſt enim color medius inter albū et flauū, ſicuti eſt cortex citri: et iſte color ſubruffus eſt, qui parū declinat à colore citrino, magis uerſus pallidū, quēadmodū eſt palea hordei is erit color ſubruffus. Sed talis urina optima habet talē colorē qa ei nō eſt admixta flaua bilis, ſed eſt ab ea ſeparata. Sed unde et quare habeat huiuſmodi colorē ſubruffum? adqrit à cōcoctionibus talē colorē, ubi ſemp relinqtur aliqua pars sāguinis, et ei admiſcetur. Verū quia bilis nihil aliud eſt niſi pars sāguinis ſpumoſa, feruēs et tenuis, inflāmās in cōcoctione aquoſitatē, quæ ei admiſcetur, Ideo, cùm ſit cōcoctio ſanguinis, sēper bilis ei admiſcetur, et in ipſo eſt, quæ eſt pars incōcocta. Licet enim ſeparata ſint omnia excremēta, tamē quia ut diximus, ibi eſt pars ſanguinis ualde ſubtilis, quæ eſt pars minima, ideo quod facit ibi parū eſt, et tamen tingit urinā, eo modo quo diximus, et ideo hæc urinalis aquoſitas ſit in colore ſimilis paleæ hordei. Et hæc tinctura ſit, quemadmodum ſi in maxima quantitate aquæ

pone=

poneretur, parum coloris flaui, ut croci, tunc in illa aqua fieret ex tali miscella color paleæ, & sic in his erit color urinæ indicantis optimam sanitatem. Est ergo iste color purus, subruffus, et nō admixtus ex aliquo, et si illa aquositas tincta fuerit ab illa particula bilis uel sanguinis tenuißimi. Sed in ipsa non est sanguis, non bilis, non humor melancholicus, sed est pura & mera ipsa aquositas, & in colore, ut dictum, simili colore paleæ hordei, quia tantūmodo tingitur ab ipsa bile: et huiusmodi color subruffus appellatur apud Græcos ὑπόπυρον. Et hæc de tertio genere. Quartum, est quantitas urinæ, illa debet esse proportionata quantitati potus. Neque enim pauca admodum debet esse, cùm sit excrementum humidum, necessarium erit quòd aliquid excernatur: sed plus uel minus pro quantitate et qualitate ipsius potus. Quoniam si plus quàm conueniret, excerneretur, tunc diabetica paßio esset: ideo oportet, ut retineat materiam mediam, & proportionē secundum proportionem potus assumpti. Quintum genus est odor. Quid habebit circa odorem? Nullus prorsus aderit odor malus, aut fœtor, cùm sit naturalis, quia optimè erit concocta et digesta. Sextum genus sunt contenta, hoc autem sextum genus omnes Moderni, qui scripserunt in hac materia tàm Græci, quam Arabes confundunt: et Actuarius, qui eos adeò sequutus est, ut ne tantillum quidem uariet. Crediderunt enim, quando dicunt Hipp. & Gale. urinam optimam esse, quando habet sedimentum album, leue, & æquale, semper reperiri huiusmodi in corporibus sanis. Et laudauerunt Gale. et Hippo. et

tamen

tamen non aduertunt, q. Hippoc. & Gal. loquuti sunt de corpore migrante de ægritudine ad sanitatem, non de corpore sano: & ideo confunduntur isti autores. Nos igitur de sanis simpliciter loquentes dicimus, q. in urina corporis simpliciter sani nullum prorsus inuenitur sedimentum: & si inuenitur, non est naturale, sed prorsus præter naturam. Quoniam sunt tantum tria illa excrementa intenta à natura, quæ inueniuntur in prima, secunda, & tertia concoctione, & non sunt plura, quoniam plures non inueniuntur concoctiones. Sed diceret quis modò, nos uidemus ista sedimenta in sanis: dico, q. etsi reperiuntur in sanis, nihilominus hoc est præter naturam, & possunt fieri à uarijs causis. Contingit enim sæpè, ut quis comedens & bibens distrahatur ab aliquo negotio, aut aliquo alio affectu, aut plurimum bibit, aut comedit, aut superflua usus est Venere, aut alio nimio & inordinato negotio, & similibus. Ex quibus erroribus plurimæ contingunt cruditates in prima concoctione, quæ in secunda corrigi non possunt, unde transeunt ad hepar, & per uenas, & non possunt recipere ultimam sublimationem: tale tamen recipiunt, quale ipsi dare potest natura. Quum enim natura non potest aßimilare, tentat ipsum transmittere, & largitur ei quod potest, ac colligit quod melius est: & ita accidit hoc loco naturæ, sicuti accidebat in confectione puris. Etiam Galen. eandem similitudinem habet in 4. Meth. & 10. De diff. feb. cap. 8. ubi loquitur de pure inflammatione, in qua natura quærit materiã purulentam corpori aßimilare, cuius partes omnes albæ sunt, & quũ

natura, ut dixi, non poßit ipsam aßimilare, eligit quod melius est, & facit ut hæc materia detrudatur ad renes, quæ postremò excernitur per urinam. Et tale est sedimentũ in urina: est album, quoniam est semicoctum, & uolebat natura aßimilare ipsum corpori, & tale non contingit in corpore simpliciter sano, ut habetis 4. De tuend. ualet. Et hoc peccatum non est ratione temperaturæ, sed uitio rationis uiuendi. Quantum igitur ex se in tali corpore nullum aderit sedimentum: sed si aderit illud, adscribatur alicui errato in ratione uictus, aut nõ erit illud corpus exquisitè salubre. Nam tale corpus teste Gal. primo & secundo De temperat. et primo De tuend. ualet. Potius imaginatione concipitur, q̃ re uera sit, Sed ut colligamus fragmenta, ne pereant. Quando uidemus talem urinam lucidam, splendidam, tenuem, coloris subruffi, absque sedimẽto, iudicamus corpus illud esse exquisitè sanum. Et habendum est hoc pro scopo, quoniam quanto magis erit corpus læsum, tanto magis ab hoc scopo deficiet. Reliquum modò est dicere de urinis indicantibus sanitatem, ut nunc postq̃ loquuti sumus de urinis indicantibus sanitatem simpliciter. Ex quibus contingere potest error in inspectione urinarum ipsarum: & nisi sciamus quod modis corpus poßit alterari, non poterimus iudicare super talem urinam. Sed ut facilius feramus iudicium, tria sunt aduertenda. Primum ex parte medici, secũdum ex parte corporis, à quo sequestratur urina, tertium ex parte urinæ: & quãtum ad primum, debet Medicus quatuor obseruare. Primò, ut urina sit in uase conueniente & proportionato. Secundo

cundò,ut uideat in aere claro & lucido. Tertiò,ut ponat manum ex altero latere. Quartò, ut urina sit in debita distantia. Et quantum ad primum, Medicus debet eligere uas conueniens,quantum ad naturam uitri,clarum & lucidum, absque uitio & colore alieno, ne color ille iudicium peruertat:quod non sit crassum, sed in substantia tenue:satis magnum,ut poßit continere tôtam urinam, quæ mingitur qualibet uice: & oportet totam ostendere, & non facere sicuti mulieres, quæ mingunt plus quàm tres uaccæ,& nisi portiunculam urinæ Medico ostendunt, ut uideantur honestiores, sed oportet totam urinam ostendere:& si non uidebimus totam urinam, non poterimus habere uerum iudicium. Prætereà uas non debet esse admodum amplum,sed strictum potius & oblongum, ut uidere poßimus,an sedimentum sit in fundo,an in medio,an in sublimi:an nebulæ sint in suo conuenienti,an uerò in alio loco. Fundus uitri sit oblongus & rotundus, ut poßit rectißimè residere hypostasis,sed non minus prominens, ne urina æqualiter resideat: nam ubi sunt illi anguli, sunt umbræ quædam,& radij reflectuntur,& hoc modo impeditur iudicium Medici:& sic patet,quàm inepti sint illi cyathi,in quibus ostenditur urina. Et sic apparet, quomodo uas debeat esse:Primò,ad figuram,quantitatem,& substantiam. Secundò erat uisio, quæ debet esse in aere claro & lucido,ut radij uisuales poßint penetrare uniuersam substantiam urinæ, quia in obscuro nõ poterimus uidere omnes urinæ differentias. Tertiò seu tertia conditio est, ut opponat manum in aliam partem, ut dum aer,

sit in illo uase, radij colligantur tanquam in speculo, & sic cum ueste fiat umbra: quia in illa umbra apparent singulæ differentiæ urinæ. Sed non sit adeò ita propè, quoniam quanto magis longiores sunt urinæ, tanto magis apparent tenuiores: & quanto magis propinquiores, tãto magis crassiores. Ideo ne decipiamur, medium locum eligere oportet & si habeat quandam craßitiem, non est optimè digesta: neq; enim est adeò digesta sicuti uinum: nam uinum siue à propinquo siue à remoto, semper apparet tenue, propter maximam concoctionem. Et ne quis uellet facere periculum de nostra peritia, ostendendo uinum pro urina, cognoscamus & hoc, quoniam in urina semp apparent quædam corpuscula uagantia: & cùm propius adhibemur, oportet habere hanc cautelam, semper apparebit craßities quædam, quod non contingit in uino. Ex odore etiam cognoscetur: & ideo si quis adfert uinũ Maluaticum, aut quid tale uidendum, pro urina, non possumus decipi, quomodo deceptus fuit Iacobus de Foroliuio, qui cùm quidam eques ostenderet ei uinum Maluaticum pro urina, ex sola inspectione à longè uolebat iudicare, & protulit ibi esse maximam cruditatem, & propterea illusus fuit: nam si habuisset cautelas, non fuisset deceptus. Hactenus dictum fuit tria debere considerari, ne contingeret error in inspectione urinæ. Primum erat ex parte Medici. Secundum ex parte urinæ. Tertium ex parte corporis, à quo urina decidit. De primo satis superq; diximus. De secundo & tertio dicemus. Dicimus ergo quantum ad urinam, quòd urina non est statim inspicienda,

cinda, cùm missa est, quia inest ei calor aduentitius, quem à membris accepit. Præterea ante nulla apparent contenta eo tempore: partes enim ex eo calore diuelluntur per uniuersam urinæ substantiam, ita ut nullum congregari poßit sedimentum: quod si euanuerit calor ille aduentitius, facilè apparebit eius color, qui tunc non apparet, secundum quod est de eius essentia. Præterea spiritus illi extranei reddunt ipsam urinam clariorem, plus q̃ ex sua natura sit. Secundum quod aduertendum est, ex parte urinæ est, ut non permittatur refrigerari in aere frigidißimo. Ratio est, quia etiam proprius calor, nedum aduentitius læditur. Quantum autem ad substantiam, craßior euadit: nam partes terrestriores permiscẽtur, & non permanet luciditas ut in glacie, quia in glacie sunt partes similares: at in urina fit turbulentia ex partibus dißimilaribus simul commistis. Non sit uento exposita, ne quid extrinsecus fiat, quod dein arbitraremur factum esse ex flatibus in corpore existentibus. Hic occurrit dubium, cur urina dum patitur aerem extrinsecum frigidum, perturbetur & crassa fiat? Omnes ferè dicunt, quòd est, quoniam calor ipsius urinæ exhalat, & urina redditur crassa, turbida, ac ueluti congelata. Sed tamen si obseruabimus hæc non est uera ratio: nam stante hac causa, urinæ quæ minguntur turbidæ, & clarescunt, non haberent locum, immo turbulentiores deberent esse. Accipiamus feruentißimam quantum uis urinam, turbida erit, & tamen si parumper morabitur, reddetur clara, quod tamen totum deberet esse oppositum, ideò paulò altius in-

daganda erit causa. In febribus enim ardentibus urina turbida mingitur, & paulò post clarescit, & tamen ex caloris copia deberet esse lucidior secundum eam proportionem. Et ideo dico, q aliquid esse turbulentum, potest contingere dupliciter, uel quòd in substantia eius sit aliquid admistum, ita ut sit in temperamento illius rei, ut terreæ partes sint admistæ cum aqueis, ut contingit in melle, in quo mistionis ratione substantia eius erit crassa. Alio modo aliquid contingit esse turbidum & crassum, non quòd essentialiter sit turbidum, se propter aliquod aduentitium: ut aqua si admisceas ipsi terram, dicitur turbulenta, non ex sui substantia, sed ex hoc aduentitio, quòd si aliquantulum immoratur, subsidet illa terra, & aqua efficitur clarior. Sic etiam illæ urinæ idem patiuntur in uenis, quod mel in uase, quia non admistæ sunt partes in eius substantia. His stantibus, quædam urinæ crassæ & turbulentæ minguntur, quæ deinde clarescunt. Quædam uerò minguntur claræ, quæ deinde turbantur. Vidimus præterea urinam esse colamentum secundæ concoctionis ipsius scilicet sanguinis: cùm igitur sit colamentum, ac talem sortiatur substantiam & mixturam in secunda concoctione, ac tunc turbida efficitur, multò magis turbulentior pars ea redditur. Per contrarium modò, quanto maior erit aduentitius calor, tanto lucidior apparebit, ut contingit in melle, quanto diutius apud ignem moratur, tanto clarius redditur, resoluto deinde calore illo, ad pristinam redit naturam. Idem prorsus est de urina, ubi de sua natura clara est, & admisceantur aliquæ partes extra-

nex

neæ à calore illo præternaturali: resoluto illo calore, statim ipsa ad pristinam redit naturam: quia in uenis bona quidem fieri concoctio incipit, ex qua laudabilem haberet ex sui natura consistentiam: sed natura admiscet ei partes terrestres, dum scilicet calor feruet in uenis, ideo turbida mingitur, & clara deinde fit propter exhalationem illorum perturbantium spirituum caloris aduentitij, sicut apparet de aqua feruenti admista cum cinere aut terra: ideo pòst apparent illæ partes crassæ sequestratæ, & clara fit urina. Ideo non immeritò Galen. De Crisi dixit: Hanc melius adferre iudicium, quàm quæ clara mingitur, & posteà turbatur: Illa enim probam indicat in uenis concoctionem, ex qua talem substantiam sibi naturalem habuerit. Hæc autem malam, ex qua crassam sit sortita suam naturalem substantiam: & ista erat secunda conditio obseruanda in urina. Tertia autem conditio est ut si urina turbida euaserit, ne uelimus eam calore ignis reddere claram, fallitur enim iudicium Medici. Cuius ratio est: quoniam calor ignis non potest proportionari gradui caloris naturalis, cuius beneficio claritatem & substantiæ tenuitatem habet. Nam si mingatur urina, in duobus uidetur gradibus claritatis ac substantiæ tenuitatis. Quomodo enim talem calorem ignis temperare poterimus ut similis sit calori suo innato ipsius urinæ: cuius ratio est, claritas & substantiæ tenuitas inerunt. Patet enim, si Soli exponatur, ex calefactione partium obscurior se ipsa redditur & turbulentior. Sed cogit nos necessitas aliquando calefacere igne urinas, propter absentes,

qui non possunt ipsas seruare suis qualitatibus ex itinere, ideo eas igne reuocamus: sed malè Medici faciunt in hoc, quoniam melius est confusum habere iudicium, quàm nullum: & ex longa exercitatione possunt habere certum iudicium, & sunt quidam, qui adeò urinarum differentias obseruarunt, ut talem sibi habitum & iudicium compararint, ut etiam multa ex ipsis potuerint cognoscere, ac miranda certè dixerint, & nisi quis uideret, ut ego uidi, nunquam crederet. Quarta conditio est ex parte urinæ, ut tota ostendatur, quæ una uice fuerit excreta, simulq; inspiciatur, ne dimidiam serues, & partem abijcias: abijceres enim partes illas, quæ fortaßis residerent, & ita ab illis reliquis partibus nihil iudicij habere posses. Reliquum est, ut ea perpendamus, quæ ex habitu corporis insunt, quod est tertium genus in ordine nostro: quod quidem genus commune est, tum sanis, tum ægris, tum etiam neutris. In habitu igitur corporis multa consideramus. Consideratur sexus, ætas, affectus animi, extrinsecus occurrentia, ac denique omnes res non naturales, ex quibus potest immutari urina: & nisi ista cognouerimus, nihil habebimus ex ipsa urina: nam ex habitu corporis maximè immutatur urina ratione ætatis, licet salubre sit corpus, fieri tamen nequit, quin in ætate pueritiæ urina non sit craßior & turbulentior: pueri enim copiosiorem & humidiorem habent calorem, & cùm multa in eis fiat concoctio, copia etiam adest fuliginosorum excrementorum, ut tractat Gal. De usu pul. unde urinas quoque turbulentiores craßioresq; reddi necesse est. In iuuene autem clarior

rior fiet, ratione caloris & ætatis adiunctæ, fiet & tenuior, nisi aut spasmus, aut epilepsia, aut aliquid tale superueniat, quod signum est, quando crassior fit: nam natura ad aliquod membrum, aut ad cerebrũ, unde spasmus & epilepsia fiunt, eam transmisisse materiam crassiorẽ, quæ crassiores urinas facit, debuisset. In senibus uerò totum est oppositum, urinæ sunt tenuiores & decoloratiores: quoniam senes sunt frigidioris temperamenti, & ual de excrementosi Gale. teste 5. De sanit. tuend. & 2. De temperam. quoniam non benè digerunt, ita ut testatur Gale. 2. De tempera. frigidi & sicci per se, frigidi autẽ & humidi per accidens, quia ex imperfecta concoctione plurima adest excrementorum copia. Secundò, ratione sexus: nam urina mulieris quantum insalubris sit, etiam quòd sit subtilis, nihilominus crassior erit & decoloratior, quia frigidi & humidi temperamenti existit: tum quia non ita ualido prædita est calore sicuti uir, immo etiã ueluti naturæ peccatum, ut asserit Aristo. 4. De genera. animalium, cap. 6. Sic igitur tanto erit urina decoloratior, quanto humidiori & frigidiori erit temperamento. Et licet ista prolixa uideantur, tamen breuissima re uera sunt, quia semper nostra uersabitur industria circa hæc pauca capita, & sic patet, quomodo uarietur urina ex parte ætatis & sexus, quæ omnia ad habitum corporis attinent. Præterea uariantur etiam urinæ ex affectibus corporis, & uarijs modis uariatur ipsa urina, prout uarij etiam sunt affectus in corpore: nam in cerebro uarij sunt affectus, ut discursus, tristitia, gaudiũ, & huiusmodi,

di,qui ſi ultra modum exceſſerint, corpus refrigerant: quoniam ſpiritus in corpore exiſtentes reſoluuntur,& cum reſoluti ſunt,urinæ tenuiores et decoloratiores red duntur. Si fuerit iracundia,cũ ipſa ſit in corde,intẽſiores erunt ſpiritus,et calorẽ excitabit,et exceſſum etiam eius, unde urinæ feruidiores et ruſſiores etiam erunt. Si affe=ctus fuerint in hepate,ut amor intenſus fœmineus perſe=uerans nimiũ,corpus refrigerat:quoniam quædam cupi=ditas eſt poſſidendi rẽ amatam,hic amor ex qua reſoluun tur ſpiritus et calor naturalis,et hic a Medicis inter ſpe=cies Melancholiæ numeratur, uocaturq; ab Auic. Iliſci, lib. 3 o.trac.c. 2 2.erit hæc urina tenuior,decoloratiorq; ut in ſenibus ſit,triſtitiaq; confectis. Ita etiã fit in his,qui ex uigiliarũ exceſſu ingentem paſſi ſunt ſpirituũ reſolu tionẽ,et maxime ſi admodũ excedant. rubicundior erit ex inquietiori reddito calore:ſomni ſi excedant, turbidiorẽ atque craſſiorẽ reddunt urinã,quoniam humectatur ual=de. Ab extrinſecis etiam occurrentibus mutatur urina,ut ſi erit alicuius de gentis in Germania, decoloratior & craſſior erit:quòd ſi erit alicuius de gentis in India, ubi aer calidiſſimus eſt,erit coloratior et tenuior et flauior, propter calorẽ extraneũ:et bilem plurimam in illo cor=pore aggregatam uidebis. Et quod dico de regione,dica=tur etiã idem de temporibus anni,idemq; de conſtitutio=nibus dicendum,quæ moliuntur aeris temperiem, qualis eſt in Germania,aut in India. In quibus.n. calor natura=lis redundat,& ex extraneo nõ alienatur,his urinæ ſunt rubicundiores:cõtrà uerò his, qui pauco innato et multo

extraneo

extraneo redundant calore, non solum immutatur urina, sed etiã totum corpus, ut ex Gal. 3. Epidi. Sect. 3. facilè quisque colligere potest, et quoniã humorum ipsorũ urinæ sunt excrementa, quæ propriè respondent his, à quibus excernuntur, nonne urinæ ipsæ quoque crassæ turbidæq; erũt? Si humores ipsi craßi, turbidiq; sunt. De exercitio autẽ eadem ratio sicut in supradictis, erit: nam si moderatũ erit exercitiũ, naturalem augebit calorem, ut 2. De sanit. tuen. à princip. Si immodicũ, calorem resoluit, unde urinæ turbulentiores et craßiores redduntur. De cibo autẽ et potu ita dicendũ est: ex augmẽto. n. caloris urina semper coloratior euadet atque tenuior, contrà, ex immutatione caloris: et ex his Medicus adfert iudicium de corpore nostro. Sed hic oritur difficultas nõ spernenda, scilicet cũ urina de salubritate permutetur ad insalubritatem, quod nam est illorũ, quod prius mutatur. Cum sex dixerimus esse, circa quorũ cõsiderationem in urinis Medicum uersari oporteat. s. Substantiam, colorem, liquorem, &c. Cũ permutatur urina de salubri in insalubrẽ, aut è contra: quòd nam illorum prius mutetur, an color, an liquor, an substantia, aut aliorũ sex aliquod aliud. Hic ergo non opus est, ut conteramus tempus in recensendis argumentis hinc inde collectis, atque cõtradictionibus et opinionibus quorundam, sed ego methodo & ratione, et ex rei natura ad rem accedam: & licet apud nonnullos iniuria afficiar, & dicant me non attingere difficilia, ut fecerunt ipsi in materia De testiculis, qui propter nugas sophisticas incurrunt in odium omnium, unde & nomen

men & cognomen traxerunt cùm eò deuenerimus, appa rebit, si intacta relinquam dubia, & non erit mirum, si ita à nobis non tractabuntur sicut tractauerunt ipsi: hoc con cedimus propter affinitatem quam habent cum ipsis testi= culis: sed nos etiam aliquid dicemus. Dimißis autem his, quæ nobis usui non sunt, ex natura rei notis dico, quod te nendum, ut docet Gale. An medicina ad Gymnast. urinam esse colamentum inutile secundæ concoctionis, etiam for= tasse quæ fit in ipsis renibus: & sicut immutatur conco= ctio, pariter & ipsam urinam immutari necesse est, quæ concoctionis est excrementum. Omni enim concoctioni proportione respondet suum excrementum. Immutata concoctione, immutatur & excrementum, sicuti immuta= ta causa immutatur effectus. Concoctio autem uariatur, uel propter immutationem caloris innati et uirtutis quæ non differt à calore, uel propter immutationem conten= torum scilicet humorum, uel propter dispositiones uaso= rum, per quæ transit. Vidimus quid sit urina, & cuius concoctionis excrementum, & quot sint excrementa, & quo modo ex uariatione istorum excrementorum uaria oriantur iudicia. Deinde uidimus, prout indicant salubri= tatem & insalubritatem secundum contenta. Vidimus deinde, quæ sint differentiæ, quomodo distinguantur in salubria, &c. Et diximus pro hoc tres conditiones esse seruandas: Prima ex parte Medici: Secunda ex parte urinarum indicantium salubritatem simpliciter. Reliquũ est, ut tradamus de urinis ut nunc salubritatem indican= tibus, quæ salubritas, sanitas est culpata, & habet sua si=

gna

gnà culpata: nam quale est corpus, talia sunt signa ipsum indicantia: sed nũ ista signa possint inueniri in sex generibus, quũ talia uitia inueniantur in his, scilicet sex generibus, oportet uidere, quæ signa sumantur ab illis sex, quæ erant urinæ sanæ, tanquam regulæ aliarum. Videre nunc oportet de indicantibus sanitatem omnibus modis. Primò autem à coloribus inchoandum est: Nam colores primò se nobis offerunt, postmodum accedemus ad alia. In coloribus sciendum est, colorem urinarum non esse, nisi propter aliquod adueniens ipsis urinis: Nam ipsæ ex se consideratæ nullum habent colorem, recipiunt autem ipsum ab extrinsecus aduenientibus. Secundò, scire debemus quòd caliditas quantumuis sit magna, non facit colorem primariò & per se, sed solùm facit luciditatem & splendorem: quoniam dum calor generat tanquã causa efficiens, postea colores per accidens fiunt: sic etiam facit obscuritatem & nullum colorem. His igitur suppositis, contemplemur modò colores, & primò considerandi sunt simplices, deinde compositi. A simplicibus igitur inchoantes, in primis duo considerandi sunt: Albedo scilicet, et nigredo tanquam extrema, posteà de medijs dicemus. Exordiendo igitur ab istis duobus primis, ab albedine primò incipiemus: quoniam albedo ut Arist. inquit 2. De anima, dignior est & natura prior. Albedo à duabus contingere causis potest in urina: uel enim urina efficitur alba, quoniam nihil admiscetur, quod tingat eam, sed permanet pura & alba, non uera albedine, sed qualis est purus aer, aut aliquod aliud corpus diaphanon, quia

plurimum

Caliditas nō facit Colorem in Urina per se et primario

plurimum luminis in ſe recipit, ac ex tali receptione dicitur album, & ad hunc ſenſum dicitur alba urina. Alio modo efficitur alba, ut quando huic perſpicuo aeri admiſcetur aliquod corpus album, uel quando aqua admiſcetur, uel ceruſſa: uel farina: & ſic apparet eſſe duas cauſas ipſius albedinis in urina, Altera perſpicuitas, quæ eſt albedo priuatiuè, altera uerò quia admiſcetur aliquod corpus album. Conſideremus eam, quæ eſt alba priuatiuè, quæ eſt ſicut aqua: quare autem ſit huiuſmodi, aſsignabimus cauſas. Et quoniam non poſſumus cognoſcere cauſas, niſi per ſua ſigna: & ſigna non cognoſcimus, niſi prius ponamus habitudinem inter ſignum & ſignatum. Vrina igitur hoc modo alba à duabus cauſis poteſt prouenire: ſeu a frigiditate accedente, ſeu diminuta caliditate, uel ab obſtructione. A diminuta caliditate, quando diminuitur calor aut per extinctionem, uel per ſuffocationem. Per extinctionem apparet, quando aliquis aut multum uigilauerit, aut multum laborauerit: contingit enim prius corpus calefieri, & urinæ erunt rubicundiores: ſed cùm nimis laborauerit, contingit quòd calor extinguitur, & redditur corpus frigidius, concoctiones nõ fiunt, & ſic urina non tingitur, & ideo non mirum eſt, ſi albæ reddantur albedine illa priuatiuè: quoniam diminuto calore diminuitur bilis, & permanet alba, & eſt ſicut aqua pura & ſyncera: & illi qui ieiunauerunt plus æquo, habent urinas primò quidem rubeas ſeu citrinas: deinde remittitur illa citrinitas, & efficiuntur albæ: & hæc eſt prima cauſa ipſius albedinis priuatiuè. Secunda

causa

causa est diminutio caloris propter uim suffocationis: suffocatur enim uel ab intrinseco, uel ab extrinseco. Ab extrinseco suffocatur, quando quis nimium crapulatus, aut inebriatus fuerit, impediuntur statim concoctiones, et aquositas illa transmittitur à natura sine aliqua tinctura, & sic apparent urinæ albiores post cibum, quoniã tunc diminuitur calor, ac ueluti si igni paruo multa ligna superponas, tum obtunditur ignis primò: sed ubi paulatim incipit aggredi ligna, inualescit causa, et superat ligna, concoctiones incipiunt fieri, & tinguntur urinæ: & sic istis qui plurimùm bibunt & comedunt, insunt tales urinæ à principio: Et hæc est causa extrinseca. Diximus autem causam aliam esse extrinsecam, aliam intrinsecam. De extrinseca dictum est. Intrinsecæ uerò causæ humores sunt, antequam sint concocti, ut in morbis semper apparent albæ, quoniam suffocatur calor ab humoribus istis crudis: & sic habetis causam albedinis primo modo, idest priuatiuè, quæ est alba per similitudinem. Dixi aliam albedinem fieri per suffocationem caloris innati, aliam uerò per obstructionẽ: uel igitur ista albedo fit per obstructionem, quando contingit ut fiant infarctus quidam, ut infarciantur uenæ, & obstruantur renes, & non potest materia ualens ad tincturam, propter debilitatem caloris, transire per illas obstructiones, sed tantummodo illa aquositas, quæ ita mingitur alba, & sic apparet hanc albedinem à multis prouenire: & ideo percunctare oportet ægrotantes, num uigilauerint, an crapulati fuerint, aut tale quid perpeßi fuerint: & quando hoc

contingit

contingit iudicamus esse resolutum calorem: & si habuerit signa repletionis, tunc dico talem causam esse multitudinem humoris, uel obstructionem: et sic distinguuntur istæ causæ albedinis priuatiuè. Dicamus autem de albedine positiua: Causatur enim hæc albedo positiua, quando admiscetur aliqua substantia alba, ut pituita, uel pus, uel aliquid aliud, quod decidit ex aliqua parte nostri corporis: nam nulla pars nostri corporis est, quæ non sit alba, nisi uuea oculorum. Si sunt aliquæ partes rubeæ, illæ tinguntur à sanguine: Igitur ubi urinæ sunt albæ positiuè, non erit nisi ex aliqua istarum causarum, uel propter admistionem alicuius corporis partis colliquatæ, uel pituitæ, uel puris. Ex colliquatione membrorum facilè est cognoscere; pus autem à pituita distinguetur, nam deposita urina, statim pus residet in fundo. Ex alio etiam cognoscitur, quoniam ubi pus, ibi fœtor quidam insuauis est: ubi uerò erit pituita, non erit fœtor. Cum autem aliqua pars aderit colliquata, residebit in fundo sine fœtore. Eadem ratio est, de parte aliqua abscissa, eodem modo residebit in fundo sine fœtore: & istæ sunt causæ albedinis ipsius urinæ, et hæc dicta sufficiant de colore albo. Quantum uerò ad nigredinem spectat, nunquid potest contingere ipsi urinæ, quòd poßit effici nigra per priuationē? Actuarius quidem profitetur se tradere causas & signa omnium, cùm tamen confusè procedat. Dico ergo, quòd urina nunquam erit nigra per priuationem, sed oportet, ut denigretur propter admistionem alicuius substantiæ nigræ. Sed dicat quis. Ex frigiditate hoc potest accide-

re,

re, puta à magno frigore hoc potest fieri. Dico ergo ad hoc, quod à frigiditate, etsi sit ingens, hoc non possit contingere: Quamuis sicut à caliditate fit luciditas, ita etiam à frigiditate fiat obscuritas, propter resolutionem spirituum, & caloris innati: sed etsi uidetur nigra, non tamen est nigra, sed obscura, quoniam semper est trãsparens. Relinquitur ergo, quod urina non efficitur nigra, nisi propter admistionem alicuius corporis nigrum facientis, ut manifestè apparet in aqua: nam aqua non efficitur coloris nigri, nisi ex admistione alicuius materiæ nigræ: ita ẽt contingit in urina, quæ est uel succus Melancholicus adustus, uel bilis adusta, uel sanguis niger factus: & isti tres humores sunt illi, qui possunt nigrifacere urinas: & ut distinctius procedamus, istæ dicuntur causæ intrinsecæ: aliæ sunt extrinsecæ, ut si quis comederit aliquid, aut biberit, quod potuerit nigrifacere urinam, ut casiam, aut aliquid aliud tale. Sic ergo dicit Auicenna: Quòd si quis hominem tinxerit ligustro, quod producit florem album, alcharam uocant ipsi, mingat urinam nigram: sed longinquum est illud à ratione, & istæ sunt causæ extrisecæ nigricantes urinam. Si autem sit ex humore melancholico cognoscetur hoc ex dispositione corporis: quoniam illud corpus erit melancholicum, tum etiam quia habebit tumorem in splene. Si uerò erit ex redundantia sanguinis, isti ex quocunque labore mingunt urinam nigram, etiam sani existentes. Si autem urina nigra erit, propter multitudinem humoris adusti, non fit, nisi præcedentibus aliquibus morbis fortißimis. Sanguis etiam niger efficitur ab extrinseca causa, ut in

cancro: nam propter aerem frigidum, uel propter percußionem: uel potest esse, quòd torrefiat sanguis, qui deinde assatus deuenit ad nigredinem, ut manifestè apparet in carbunculis, quando per cutim disperguntur. Quando igitur apparebit urina nigra merito sanguinis nigrefacti, cognoscetur quando præcesserit frigiditas, & refrixerit sanguis extra uenas, qui maximè refrigeratus, posteà à ualida uirtute transmittitur uel per secessum, uel per urinam. Cognoscentur etiam & reliqua, etiamsi talis homo fuerit percussus, uel si deciderit ex alto, uel si fuerit ex ruptione alicuius uenæ: Si uerò inerit propter assationem, tum præcedent causæ calidiores. Sic igitur apparet quæ nam urinæ sint albæ positiuè & priuatiuè, & etiam, q, urinæ nigræ non poßint fieri nisi positiuè. Colores autem medij sunt, uel cognosci possunt per duos processus, uel incipiendo ab albo deueniendo ad nigrum, uel incipiendo à nigro deueniendo ad album. Volo autem, ut incipiamus ab albo, quia dignior est & prior, Albedo autem duplex est, priuatiua & positiua. Albedo in urina priuatiuè adest, quando ipsa urina transparet, ut sit diaphana, uel aquea: positiuè uerò, quando urina incipit declinare ab ea luciditate, & est in eo colore positiuè, priuatiuè autem quoniam nihil admiscetur illi, quod tingat: habet tamen aliquam luciditatem cum ista transparentia, quæ indicat caloris diminutionem, sed non tantum, ut potuerit obscurare ipsam. Vbi uerò augetur ipsa frigiditas, contingit ut liquor iste minuatur in splendore, quemadmodum Arist. inquit 3. De cœlo. Ex calore & motu prouenit

uenit lumen, q. deinde facit luciditatem in urina: ita etiam cùm augetur frigiditas, urina efficitur obscura, & ratio est in promptu: quoniam sicut à calore fit luciditas, ita etiam à frigiditate prouenit obscuritas. Primus igitur gradus erit, qui recedit ab albedine, color glaucus similis cornu laternæ exquisitè mundæ & nouæ, & habet transparentiam & albedinem subobscuram, ut diximus in tractatu De oculis. Si autem adhuc augeatur frigiditas, semper de albedine sine admistione aliquorum humorum, apparebit color magis obscurus, & fit color ille cœruleus, qui dicitur à Græcis χαροπὸς, idest gratiosus siue iucundus, & tendit (ut dixi) uersus cœruleum, sed remissum, & est propriè coloris illius gemmæ, quam uulgò uocant agatham. Tertius gradus adhuc maiorem indicat refrigerationem, & tum mortificatur calor naturalis, & imminuitur spiritus, & color nigrior efficitur: Sed ubi adhuc augetur frigiditas, unà cum nigredine fit color oleagineus, qui non est in extremo, & ab illis dicitur urina oleaginea, non q. habeat talem substantiam oleaginosam & unctuosam, sed quoniam habet talem colorẽ, & iste color prorsus mortificationem caloris indicat: loquor (ut dixi) de colore sine admistione humorum, & tale prognosticum faciendum est de his. rarò tales ægritudines benè terminari: si terminantur, admodum sunt longæ. Si uerò adhuc augeatur frigiditas, urina fit liuida sicut plumbũ: illa autem tenuis est & mortifera absque ulla dubitatione. Sic igitur habemus quinque gradus in urinis, à paucis tamen intellectos. Repetamus igitur, ne

5 grad. albedinis.

memoria elabantur: Primus est, quando urina est sicuti aqua, & significat frigiditatem: ubi uerò adhuc magis refrigeratur, fit color glaucus: postmodum cùm adhuc augetur frigiditas, fit cœruleus remissus. Quartò fit oleagineus. Quintò & ultimò, urina existente subtili fit plumbei coloris & liuens, & istæ sunt deploratæ: & tales nunquam euadent à tali ægritudine. Suprà proposueramus quæstionem utilissimam, scilicet quid nam esset, quod in urina prius immutetur, quando urina de salubritate uertitur in insalubritatem: utrum, inquam, prius immutetur liquor an color, an substantia. Sed quoniam uisum est nobis prius tractationem absoluere de colorum differentijs requisitis ad rectè iudicandum de ipsis urinis, ideo dilata est quæstio in tempus: quia perceptis omnibus istis facilis erit nobis quæstio. Vt autem rectè percipiantur quæ dicturi sumus in præsentia: oportet meminisse eorum, quæ hactenus diximus de excessibus, scilicet, qui nam excessus essent in causa differentium urinarum: & qualis esset proportio, ut signa correspondeant signatis, & causæ causatis. Signata ac causata sunt corpora: signa autem sunt urinæ, quæ indicant excessum in temperatura istius uel illius corporis: sed quoniam hi excessus, quidam naturales sunt in sanitate culpata, quia non sensibiliter lædit operationes, sanitas dicitur, sed non simpliciter, ut rectè dixit Galenus 1. De ualet. & in lib. illo, An ars tuend. sanit. ca. 7. Quidam uerò excessus sunt præter naturam, quando scilicet sensibiliter læduntur operationes, & tum dicitur ægritudo, & non amplius sanitas. De hoc autem excessu

am-

amplißimum habebimus ſermonem. In colore autem pro posuimus duo extrema, album ſcilicet & nigrum, ut ex iſtis duobus extremis reſultarent medij colores. Incœpimus ab albo tanquam à digniori, & inuenimus albedinem eſſe duplicem: quandam eſſe priuatiuam, & quandam eſſe poſitiuam: Priuatiuam poſuimus albedinem, quæ prorſus omni colore priuata eſt, ſed eſt corpus potius diaphanon; ut aer, ſicuti dicimus aerem eſſe album, & aquã albam: quoniam oculis noſtris propter luciditatem quam habet, uidetur alba, & ab hac albedine nunquam fit progreſſus ad nigredinem. Dicebamus albedinem eſſe quandam priuatiuam & quandam poſitiuam. Diximus autem quòd albedo poſitiua fit propter admiſtionem alicuius ſubſtantiæ albæ, uel pituitæ, uel puris: & tandem deuenimus ad nigredinem, ac inuenimus ipſam non poſſe conſiderari priuatiuè, ſed tantummodo poſitiuè, propter admiſtionem alicuius rei nigræ, aut melancholici ſanguinis nigrifacti, aut flauæ bilis aduſtæ, & ut Auicenna aſſerit ex læſione extrinſeca, ut ſiquis tinxerit ſe liguſtro, licet hoc nunquam uiderimus apud alios, & hoc ſatis apud me durum eſt credere mingat urinam rubeam. Hucuſque igitur peruenimus, & proceßimus ab albedine ad nigredinem, & à nigredine ad albedinem. Ab albedine incipiendo & ad nigredinem uſque deueniendo inuenimus eſſe quinque gradus colorum. Primus in urinis color eſt albedo, ueluti ſit aqua, & tum nihil nigri admixtum eſt, & hoc accidit ex frigiditate. Si autem adhuc infrigeratur, fit color ſecundus, qui glaucus dicitur, & eſt

ad similitudinem cornu laternæ, ueluti si pauxillum nigri in maxima aquæ copia admisceas: si uerò adhuc magis refrigeratur, fit color ille qui à Græcis dicitur χαροπὸς, à nonnullis fuscus: à nostris Latinis licet impropriè cinericius dicitur: sed cinericius est tinctior, ac si aliquanto plus nigri sit admixtum. Iste autem est tertius color, qui maiorem etiam significat frigiditatem. Quartus color, siue quartus gradus coloris est, quando frigiditas adhuc maior adest, ita ut incipiat urina nigrescere, & fit oleaginosa, & hoc potißimũ est signũ frigiditatis. Quintus gradus & ultimus est liuor: Fit autem ille liuor, ueluti quis percussus sit: primò uidemus membrum percussum nigrescere, ultimo liuescit, & est in extrema frigiditate, & est ultimæ extinctionis caloris naturalis indicium. Si autem quid corporum tingentium admisceatur, certũ est, quòd tales in urina oriantur colores, qualis erit color humoris tingentis. His suppositis diceret quis: Tu dixisti urinam fieri albam positiuè ex admixtione aut seminis, aut pituitæ, aut puris, aut alterius. Quomodo ergo possum distinguere hanc albedinem? Nam anteà dixi, urinam fieri illius coloris, cuius est humor admistus: nam summa albedo dicitur niuea, de illa autem uolumus loqui: sed quando admiscetur, ut dixi, pituitæ aliquid optimæ coctæ, aut puris cocti, aut seminis, aut colliquatæ partis, rectißimè distinguemus. Si erit pituita, tunc urina erit alba permista sine fœtore: si uerò plus, tunc erit fœtor: si semen, aut erit ex Gonorrhæa, aut ex aliqua alia causa: si colliquationis ratione, id est necessarium fieri ex præcedenti ali-

qua

Alb[a] Vrina quomodo distinguitur &c

qua febri colliquatiua. Sic ex signis rememoratiuis ad iudicium præsentium signorum deueniemus. Notandum tamen est, quòd licet methodus neceßitate diuisionis membra consideret, sæpenumerò tamen eorum aliqua re ipsa nunquam, aut actu, oriuntur: unde Auicenna sæpè dicit, hoc raro contingit, & huiusmodi alia. Iste ergo color niueus licet diuisionis ratione fieri asseratur à pituita optimè cocta, tamen id nunquam fortasse contingit, & hoc ipsum methodus ostendit. Nam si pituita, aut pus, aut semen sunt optimè concocta, non erunt ita alba, ut reddere posint urinam ita albam, ut niuea appareat, immo nos luteū colorem sæpè uidimus, qui fit ex his, & ita à niueo differt secundum magis & minus, & pituita optimè concocta facit semper sedimentum in fundo. Secundus gradus albedinis tendentis ad nigredinem est color glaucus. Tertius ille, qui suprà à Græcis dicebatur χαροπός. Quartus est oleaginosus ac uiridis, ob admistionem pituitæ uiridis, qualis frequenter uidetur emuncta ex naribus. Aliquando urina liuescit, ex pituita liuida facta ex adustione, & hic iuxta Græcos est ultimus gradus uersus nigredinem; qui adquiri potest per adustionem ipsius pituitæ: licet Arabes non habuerint pro inconuenienti, q per ulteriorem adustionem pituita nigrescat, & ita urina nigrefiat ex eius permistione: sed id rationi ualde repugnat, quoniam non potest fieri tanta adustio in humido corpore, qualis est pituita, ut ex ea torrefactione nigrescat: & huic sententiæ adstipulatur experientia. Si enim torrefiat apud ignem pituita, nunquam fiet nigra. Præterea si

Liuida urina

lapidescit, non potest fieri nigra, sed liuida: identidem cùm in corpus induratur in articulis, non transit in liuorem: igitur urina non ingrescit, ex torrefactione pituitæ, sed ex aliqua alia causa. Et iste est processus colorum tendentium ab albedine ad nigredinem. Reliquum est modò uidere permistionem aliorum humorum, postquam uidimus de pituita, & inuenimus non posse fieri nigrum colorem ex ipsa. Videndum modò est per alia media, quando bilis, quæ lutei coloris est commiscetur: si enim minima quantitas bilis ipsi urinæ admiscetur fit primus gradus coloris, qui à Græcis dicitur ὑπωχρὸς, idest sub pallens: est autem hic color paleæ hordei similis, atque ad albedinem proximè accedit. Si uerò maior bilis quantitas urinæ admisceatur, fiet subruffa, ac secūdus color est, qui sub ruffus dicitur. Si autem adhuc maior bilis quantitas admisceatur, fiet color ille, qui ruffus siue citrinus ab istis dicitur, qui est tertius in ordine. Si adhuc maior copia admisceatur, fit color subflauus, grecè ὑπίξανθος. Si uerò adhuc maior, fit flauus color: deinde fit coloris corticum granatorum: posteà si incipit aduri, fit croceus: si adhuc magis aduritur, fit rubeus: si adhuc magis, purpureus, si etiā adhuc, fiet coloris uiolarum, siue iridis: quòd si bilis magis aduratur, tendet ad nigredinem, & fit color praxino proximus: si magis, æruginosus: si etiam adhuc, agathinus: si pergat magis aduri, niger fit ex ultima adustione. Hic erit progressus ex admistione bilis, diuersus ab eo, qui ex admistione pituitæ est: uaria enim media sortiuntur. Progressus autem ex luteo ad nigrum fit per adustionem

Pr admixtione bilis
1 Pallida
2 Subruffa
3 Ruffa seu citrina
subflaua 4
flaua 5
Crocea 6
Rubea 7
purpurea 8
Viola 9
prasina 10
aeruginosa 11
agathina 12
nigra 13
Vide pag. sequente.

Nb Ruffus color est color Auri pigmenti et Vrinæ color bilis naturalis [illegible] 156.

nem bilis: id autem facilè cognoſcetis, referendo ſemper urinas præteritas ad præſentes, ita quòd iſto ordine procedunt iſti colores. Primus eſt palearis per aduſtionem puta bilis. Secundus eſt ſubruffus. Tertius eſt ruffus ſiue citrinus. Quartus eſt ſubflauus. Quintus flauus. Sextus color ſimilis corticibus granatorū. Septimus croceus. Octauus rubeus. Nonus purpureus. Decimus color uiolarum ſiue Iridis. Vndecimus praxinus. Duodecimus, æruginoſus. Decimustertius, agathinus. Decimus quartus & ultimus, niger. Iſti autem omnes ſunt humores, qui fiunt ex admiſtione bilis cum urina. Quòd ſi ſanguis nigrefactus admiſceatur urinæ, tunc urinam reddet primò glaucam, non autem luteam, aut alterius coloris: deinde ſi plus iſtius ſanguinis atri aut humoris melancholici, aut bilis atræ admiſceatur, non fit liuidus, ſicuti eſt extrinſecus, ſed fit color ille gratioſus, qui χαροπὸς dicitur: quòd ſi maior quantitas admiſceatur, fit cœruleus: ſi adhuc maior, fit liuidus, qui Græcè φαιὸς, dicitur: ſi adhuc magis, fit agathinus: deinde ad nigredinem deuenit: ſi autem ex ſanguinis miſtione color uarietur, fiet primo ueluti lotura carnis, & ideo ille color incendetur, ut ſanguinem penitus referat: ſi autem remiſsior fiat, ita ut incipiat à uero ſanguine, & deueniat uſque in loturam carnis, quanto magis declinat, tanto magis ſanitatem indicabit. Sic etiam, ut rememoremus de alijs coloribus, ut de pituita retrocedendo, ut facilis fiat habitus. Vltimus color tendens ab albo ad nigrum, erit liuidus, quanto magis declinabit, tanto magis ad ſanitatem æger redibit. Poſt liuidum eſt uiridis ſi-

ue oleaginosus. Post oleaginosum χαροπὸς fit. Deinde glaucus. Posteà est color albus. Et isti colores contingunt ex admistione bilis tendentis ad nigredinem retrocedendo. Alius est niger. Post hunc agathinus. Post praßinum est color uiridis siue uiolæ. Post hunc est purpureus. Deinde rubeus. Posteà croceus. Post croceum est color corticum granatorum. Post hunc est flauus. Deinde subflauus. Posteà citrinus siue ruffus. Deinde subruffus ultimus, qui est primus color palearis: idem de melancholia siue atra bile, aut atro sanguine dicendum. Vltimus est niger. Post nigrum est citrinus, idest isatidis. Posteà liuidus. Post hunc cœruleus. Post hunc χαροπός. Vltimus qui primus dicitur, est color glaucus. Hoc autem modo retrocedendo poßumus iudicare de his coloribus in urina, quando uidelicet æger ab ægritudine deuenit ad sanitatem. Sic etiam poßumus iudicium dare, quando à sanitate ad ægritudinem æger deuenit. Hæc autē nostra medicina nō est pelagus, sicuti isti dicunt, immo facillima est, si quis in philosophia & logica optimè instructus fuerit: & ultra hoc oportet habere modum, quo sciat ipsam declarare, ut facilè scholastici ista percipere poßint. Expeditis autem his, tempus est ut ad liquorem deueniamus. Ita igitur de liquore dicemus, sicut de colore fecimus.

DE LIQVORE. CAP. III.

IN coloribus proposuimus duo extrema, ita faciemus in liquore. Extrema erunt luciditas & obscuritas, circa quæ uersabimur. Notandum autem est, quòd liquor apud Græcos χύμα dicitur, qui attenditur, ut dixi, penes illa

Extrema in liquore.

[illegible]

illa duo extrema, scilicet luciditatem & obscuritatem, aut opacitatem & transparentiam. Videndum est quomodo fiant ista duo extrema: & oportet ut distinctè procedamus, ne confundamus liquorem in substantiam. Luciditas igitur fit ex multitudine seu copia spirituum & caloris innati in corpore existentis, ex quo optimæ cõcoctiones, & tales lucidæ sequuntur urinæ: si uerò ab hoc extremo parum declinauerit, lucida quidem erit, sed non ut prius erit urina, & ita sensim ad alterum extremum, idest ad obscuritatem accedet. Ne autem decipiamini, circa hoc notandum est, quòd non tantum ex spirituum atque caloris abundantia fit splendor in urina, sed etiam ex spiritibus & calore igneo & præternaturali, aut intrinsecus aut extrinsecus adueniente ipsi urinæ. Si enim extrinsecus, ueluti si apponatur ad ignem, uel ad solem etiam, quæ turbulenta est, fiet lucida: radij enim solares & ignis urinæ substantiam rarefaciunt, ita ut lumen extrinsecus facilè recipiat, unde lucida magis & transparens euadet. Intrinsecus idẽ continget, quãdo uidelicet est copia spirituũ et caloris præternaturalis: ut in statu et augmento febris urina apparebit lucidior, q̃ in principio et declinatione, propter multitudinẽ spirituũ, et caloris præternaturalis. Nonnulli uerò Medici hoc ignorantes, cũ uident in statu et augmẽto urinas bonas, incipiunt lætari, et credunt esse bonũ signum, & incipere concoctionẽ: et nõ animaduertunt hoc cõtingere propter multitudinẽ caloris, et spirituũ præternaturaliũ, cũ posteà uident in declinatione turbulẽtiores reddi, currunt ad suas nugas dicẽdo q, materiæ

istæ

istæ sunt hæterogeneæ. Medicos igitur hortor, ut nõ sint, ut inquit Galenus, προπετεῖς, idest temerarij in iudicando, sed diligenter oportet animaduertere, quo tempore micta fuerit urina. Dicit enim Hippo. 4. Apho. 72. Quibus urinæ albæ & perspicuæ, malæ, præsertim si ita in declinantibus appareant. Primò ex eo indicatur feruentissimus calor intus existens, & maxima extraneorum spirituum copia, maximè in declinantibus: quoniam significant materiam repere ad caput, nec excerni per urinam, ut fit in phrenitide. Nec quenquam, ut fatetur Galenus in Commentarijs, uidit seruatum fuisse, cuius tales cum delirio apparuissent urinæ: & in multis locis dicit Galenus se obseruasse, & nullum (ut inquit) uidit sanatum esse. Ita etiã & nos oportebit seruare omnia hæc, ut possimus rectè iudicare: nam solo prognostico in his indigemus, cùm incurabiles omninò sint. Suprà dicebamus de differentijs urinarum, producentes primò naturales differentias, deinde loquẽtes de excessibus à naturali metro, qui si pauci sunt, salubritatem ut nunc, possunt adhuc indicare: si maiores, neutralitatem: si maximi insalubritatem, & uarium eorũ excessum speculationemq́; ostẽdimus, duo ponebamus extrema in qualibet differentia, in colore uidelicet, in substantia, odore, liquore, quantitate, contentis, & eorum superficie, & deuenimus usque ad hunc terminum, & uidimus, quæcunque dici possunt de coloribus. Posteà uidimus etiã & ostendimus, quòd deberemus respicere duo extrema, et ex illis cognoscere media, sicuti fecimus in coloribus: & considerauimus liquorem in summo splendore, & ex alia

parte

parte in ſumma obſcuritate, quæ duo ſunt extrema. Vidimus deinde ſplendorem fieri, tum ex multitudine caloris, tum ex multitudine ſpirituum, in urina, tum naturalium, tum præternaturalium. Vbi autem uidemus liquorē ſplendidum, debemus ſcire, quòd in eo corpore aucti ſint ſpiritus & calor. Debemus autem notare, quòd urina quandoque in ſe habeat paucam caloris & ſpirituum copiam, & tamen lucida eſt, cùm debeat turbida apparere. Quandoque maximam habet tum caloris tum ſpirituum copiam, et tamen obſcura apparet. Dicimus ad hoc, quòd quandoque urina in ſe habeat copiam tum caloris tum ſpirituum, id accidere, quoniam urina illa in mingendo trahit ſecum aliquam materiam ueluti ſanguineam, aut arenulas, quæ obtundunt limpiditatem urinæ. Sicut contingit in uino, ſi aliqua materia quæ ipſum conturbet, admiſceatur, quòd à ſubſtantia cognoſcitur: nam poteſt eſſe, quòd in propria ſubſtantia fuerit clara ipſa urina, & hoc apparebit: ſi, ubi partes & materiæ reſederint in fundo, clara euadet: quia illa urina, quæ prius obſcura apparebat, modò clarefacta, non propriæ ſubſtantiæ ratione erat obſcura, ſed ratione alterius. Ad aliud autem quando dicebamus, quòd quandoque in urina adſunt pauci ſpiritus, & tamen clara apparet, cùm potius obſcura apparere deberet: pro hoc debemus ſcire, prout etiam aliàs notauimus: quòd ſplendor in urina poteſt acquiri & ab extrinſeco, & ab intrinſeco. Ab extrinſeco, ſicuti cùm urinam ponis ad ignem uel ſolem, quæ ipſam claram faciunt: quoniam tranſmittuntur illi ſpiritus ignei, qui penetrantes ipſum ſubiectum urinæ, ipſam

ipsam claram reddunt. Vel igitur clarefit ab intrinseco, ut cùm in statu febris mingitur urina, clarissima redditur propter calorem igneum intus existentem, ipsam clarefacientem, posteà in decremẽto aliter erit. Apparet etiam clara, quando materia repit ad caput, ut in phrenitide. His autem modis potest urina fieri clara, cùm tamen in ea minima portio adsit spirituum & caloris. Et hoc de liquore satis.

DE SVBSTANTIA. CAP. IIII.

Reliquum est, ut de substantia agamus: quæ etiam & ipsa consideratur per duo extrema, sicuti diximus de colore & liquore, quæ duo extrema sunt ista, crassities, & tenuitas: nam sæpissimè urina crassa & lucida, & è contra tenuis est & lucida: sic crassa est & turbida, & tenuis & turbida. Certum est, quòd crassitudo urinæ nõ potest esse, nisi per admistionem alicuius humoris: nã quanto tenuior est humor, tanto subtilior redditur urina. Si admistio est secundũ substantiam, secundum diuersitatem mistionum, uariæ mistionum proueniunt urinæ, Nam si urinæ quippiam pituitæ admiscebitur, fiet urina crassa: si bilis ten uis reddetur, quia humor tenuis est: si erit crassa & nigricans, tunc signum erit, quòd adsit humor aliquis melancholicus uel sanguis adustus. Colores etiam substantiæ claritatem impediunt, ueluti ruffus color & liuidus, si ipsi admisceantur, talem enim habebit colorem. Isti autem sunt omnes humores, qui claritatem substantiæ impedire possunt, Sanguis uerò non impedit, quo-

niam

Saug extra venas.

niam uel est intra uenas, uel extra: intra uenas suum obtinet colorem, cùm sit sub forma sanguinis: extra uenas autem statim propriam formam amittit, & sic transit in naturam alterius humoris. Si quis autem cognouerit naturam humorum, statim ex dominio cognoscet substantiam urinæ. Satis igitur de substantia dictum sit.

DE ODORE. CAP. V.

ODor quarta erat differentia à nobis proposita, qui odor consideratur & ipse iuxta duo extrema, scilicet iuxta odorem et priuationem odoris. Sic igitur uel urina erit odorata, uel odore orbata. Cùm naturalis urina odorem habere debeat, cognoscemus, cum priuata sit odore, ipsam præternaturalem esse, ac indicare tunc non paruam frigiditatem, quæ coctionem non admittit, unde talis urina odore priuata semper alba & obscura est. Vbi autem est odor, erit bonus uel malus: si bonus, non potest esse nisi à re comesta: & ubi quis comederit res fœtidas, facit urinam odoratam: si quis autem comederit res odoriferas, faciet urinam fœtidam, ut si quis anisum ederit, quod prouocat urinam, & illæ urinæ recidunt ab humoribus fœtidis, ideo sunt fœtidæ. Per contrarium etiam: Therebintum si comedat aliquis, faciet urinam optimè odoratam. Vnde autem sit hoc, uidimus De prouocantibus urinam. At hoc non potest esse ex alia causa, quàm quòd uidemus in alijs sublimationibus, & ferè in omnibus, Vidimus etiam aliàs hoc, ut aliquando ex fœtido aliquo aqua odorife-

ra,

ra, ut ex trifolio: & aliquando à minimè fœtido fœtidum aliquod extrahatur, ut ab oleo communi, fit substantia oleaginosa fœtidißima. Per contrarium si accipiatur illud oleum fœtidum, & in alia destillatione ad tepidum impositum sit ignem, odoratißimum redditur. Sic intrinsecus contingit, si cibus optimè concoctus fuerit, nullus redditur odor malus: sed si oppositum contingit, scilicet quòd non fiat bona concoctio, tunc & excrementa & ipse cibus fœtent. Fœtor seu malus odor si ab intrinseco prouenit, ferè semper exitialis est: sicuti in febribus pestiferis fœtent urinæ, propter ingentem humorum putrefactionem, ac tunc in illo redemptio nulla erit.

DE QVANTITATE VRINAE CAP. VI.

QVinta & ultima differentia est circa quantitatem, quæ iuxta duo extrema, scilicet paucitatem & multitudinem uersatur, idest si urina pauca est uel multa: ista etiam indicant dispositionem præter naturam. Hoc autem fieri potest uel ab intrinseco uel ab extrinseco: ab extrinseco, si parum bibit, & plurimũ sudoris egerit: nam ubi plurima egestio est, ibi pauca redditur urina: uel ab intrinseco, ut in febribus ardẽtibus pauca mingitur urina, propter multam caloris adurentis quantitatem, & absumentis urinam, uel propter obstructionem meatuum, uel propter uirtutem debilem, uel propter craßitudinem urinæ. Multitudo autem potest esse uel ab extrinseco, ut si quis plurimum bibat, aut euomat, uel

uel habeat aluum astrictũ:uel ab intrinseco,idest aut propter caliditatem membrorum urinalium, quæ attrahunt multum humidi,uel q̃ corpus sit frigidum, ut 1. De crisi, & uirtutes in ipso sint debiles. Ista multitudo quæ prouenit propter debilitatem alteratiuæ & retentiuæ uirtutis,fit paßio diabetica,uel non retinetur humor,qui assumitur, & isti sicuti bibunt, ita mingunt. Tales autem uidi bis; & hæc quantum ad urinam multam & paucam. Circa speculationem de urinis dicebamus, q̃ si rectè corporis affectus per urinam iudicare uolumus,primò oportet intueri colorem,substantiam,quantitatem, &c. Vidimus autem quinque illa genera priora, & deuenimus postea ad reliquas speculationes,scilicet de contentis,de quibus nunc dicturi sumus: & ista contenta sunt ita necessaria,ut nisi quis cognoscat ipsa,nihil assequatur. Sunt autem ueluti forma in ipsa urina:quoniam,ut dicemus inferius,ipsa dant formam ipsi urinæ,reliqua uerò sunt tanquam materia. Sed primò cognoscere oportet, cuius sit talis urina,an ægri,aut sani? an pueri,an senis? an uiri, an mulieris? Si autem uidebimus urinam sub puram mediocris substantiæ & liquoris, nec aliqua habeat contenta,talis urina optima est:optima inquam respectu corporis. Respectu autem ægri peßima est,nam significat ægritudinem longam futuram:sic de sexu & ætate. Nam in pueris si urina lucida est,significat,q̃ in puero illo non adest sanitas,quoniam puerorum urinæ turbulentæ esse debent,sic & mulierum:si sunt claræ & subtiles, non sunt sanæ. Ideo alia est urina uirorum,alia mulierum, alia puerorum,

De contentis

rorum, alia prouectorum & senum, alia illorum qui ieiunauerunt, alia illorum qui non ieiunauerunt. Vrinæ autẽ nihil aliud significant, ac indicant, primò & per se, nisi affectus eorum, qui sunt in genere uenoso & arterioso. Secundò autem indicant omnes affectus corporis, si modò quis fuerit exercitatus in ipsis urinis, cognoscet etiam affectus capitis. Ideo prius debemus exerceri in urina ea, quæ attinet ad uenas & arterias, posteà ordinatim ad alia accedemus. His uisis, deueniemus ad cognitionem contentorum. Ita autem se res habet cum contentis in urina, sicut forma ad materiam. Vidimus enim urinam esse aquositatem sanguinis, & quòd semper ad aquositatem ea sit: si autem additur aliquid, aut ad colorem, aut ad substantiam, semper aduenit merito contentorum. Quæ autem sensu distinguuntur, aut non distinguuntur, ea semper contentum uariant in aquositatem. Quia autem non possumus habere cognitionem alicuius partis, quàm per suum totum & formam, debetis rectè assequi cognitionem contentorum.

DE DIFFERENTIIS CONTENTORVM IN VRINA. CAP. VII.

ITaque omnis generatio & corruptio fit per sublimationẽ, ut ostendemus in nostro libro De sublimationibus, quem dante Deo edituri sumus. Quæ sublimatio nil aliud est, quàm extractio humidi, quæ à calore prouenit. Quum autem omnia generẽtur per sublimationem, quæ

fit

fit per calorem extrahentem humidum utile, calor iste cō ueniens est naturæ siue animæ, quo calore sustentatur anima siue natura. Cùm autem iste calor sit benignus, extrahit humidum per concoctionem: & quomodo fiat ista concoctio, docet Aristot. 4. Meteor. Extrahitur ista humiditas à calore benigno, & ubi fit talis sublimatio, semper illud humidum quod extrahitur, attinet ad generationem. Cum autem attingit ultimam perfectionem, & est in medio, inter concoctionem & assationem, excremēta sunt perfectiora, neque cruda sunt, sed secundum proportionem sunt mediocria & temperata, cuiuscunque etiam generis sint ista excrementa, siue terrea, siue aquea. Cùm igitur sic se habeat res, accedit aliud genus caloris: nunc uidimus calorem sublimantem alium esse naturalē, de quo uidimus: alius est prætereà calor, qui non regitur à natura, qui agit secundum suam naturam, & trahit humidum incoctum, nam trahit uiolenter, & non expectat concoctionem: & ita illud humidum extractum est crudum. Propter importunam autem extractionem illius caloris, & pars aerea & ignea euaporant, & nihil aliud remanet, quàm pars aquea, incocta & terrea: & ista distillatio siue sublimatio est communis omnium istorum, qui extrahunt aquam ex herbis: uidemus autem, q; si extrahamus aquam ex absynthio, si repente extrahit calor igneus, extrahitur humiditas aquea, & resident partes terræ adustæ: si autem procedamus cum calore moderato, qui est similis naturali, extrahetur tantummodo humiditas utilis, & sic reliqua erunt perfectè concocta,

nulla remanente cruditate. His itaq; propositis ac breuiter enarratis, cùm hoc sit uniuersale in omnibus, quæcunque inferius generantur & corrumpuntur, per sublimationem factam à calore siue naturali, siue præternaturali, & cùm uerificetur in singulis particularibus, uerum etiam erit de concoctione in homine. Cùm autem transfertur chylus ad hepar sublimatur, extrahiturq; humidũ utile intentum à natura, pro alimento corporis, & efficitur sanguis: & ubi fuerit calor naturalis optimus, secundum quod oportet ille humor extractus erit secundum naturam, & attinget ultimum suum finem, quod est nutrire corpus: excrementa etiam sua erunt proportionata illi humiditati, quia cùm calor agat ordinatè, & extrahat humorem debitum, excrementa etiam aßimilabuntur substantiæ, à qua extrahuntur. Excrementum, quod defertur ad lienem, erit quidem terreum respectu aliorum, quum tamen sit humor sibi æqualis & continuus. Sic etiam dicendum debile, quæ non erit ita acris & erodens, quoniam erit permixta cum aliquo dulci contundente acrimoniam: sic aquositas extracta non erit simplex, sed habebit alias partes sibi admistas, quæ illi debentur, & optimum colorem, substantiam & reliqua optima. Quòd si excrementa pura sint, malum erit: quoniam oportet q, permista suis contrarijs, ut contraria illa obtundant illorum pernitiem, & fiat mediocritas. Vbi autem habemus calorem debito modo sublimantem, habemus excrementa proportionata, ut uidimus in hoc excremento: & sic sunt omnia clara. Vbi autem defecerit talis actio, & sub-

ſublimatio non fit, ſicut oportet, defectus eſt in calore, non ratione animæ, quoniam ſunt inſtrumenta quæ faciũt operationes deteriores, ergo in calore erit uitium. Iſte igitur calor uel eſt uitiatus, ita ut non ſit diminutus, nec nimis ſuperabundans, aut nimis potens & igneus, & ſic dupliciter deficit calor. Si erit diminutus, ſublimatio erit imperfecta, quoniam calor debilis eſt, & inobediens naturæ, & non attingit ultimum gradum, humidum erit crudum: nam concoctio uera fit, ubi calor moderatus eſt: quòd ſi ſit diminutus, fit mollities ſiue inquinatio, & eſt, quando non fuerit excrementum humidum totum uerum, ut apparet in his emplaſtris: nam illa quæ ſunt benè concocta, attenuantur manibus, & non inquinant manus, q; ſi adhæreant manibus, ſignum eſt non eſſe excrementum humidum, q; deberet extrahi: quoniam uis caloris diminuti non poteſt extrahere, niſi humidum in ſuperficie exiſtens. Pro gradu autem iſtius caloris fit illa concoctio, ut uidemus in generatione ſanguinis. A calore diminuto fit quidem ſanguis, ſed diminutus & aquoſus: ubi igitur fuerit talis ſublimatio, & ubi non attigerit proprium finem, neceſſariò etiam excrementa deficient. Nam ſi natura deficit in primo intento, neceſſariò etiam deficiet in eis, quæ ſunt in ſecundo intento, & ideo excrementa quæ debebant eſſe terrea, remanent aquoſa, & pars ſubtilior et ſpumoſa, ſi ipſa ſit bilis, erit aquoſa. Quòd ſi excrementa quæ debebant craſſa eſſe & terrea, ſint aquoſa, quid erit de illis, quæ ſemper ex ſua natura ſunt humida? & ſic urina erit ſine his excrementis. Quòd ſi calor attigerit pro

prium finem, excrementa erunt ſecundum quod oportet, & habebunt multas partes, proportionabilem tamen facientes æqualitatem. Vbi defecerit calor, apparebit urina aquea ſine contentis. Si autem fuerit propter abundantiam caloris adurentis, primò, ubi calor abundans incipit agere ſublimando, extrahitur humidum bonum, & illa ignitas non eſt contraria uitæ, licet uita illa non ſit perfecta, ſed ægra. Calor autem ille ſecundum aliquam partem obedit naturæ, & fit ſanguis aduſtus aſſatus. nã calor igneus ex ſua natura aſſat & adurit, & ſic ſanguis ille habet plures partes craſſas, & excrementum terreũ eſt aſſatum. Sic & bilis erit aſſata, & erit bilis uitellina: prætereà erit extraneum aqueum nimis mixtum alijs. Vrina autem pauca erit in quantitate, & erit mixta cum multis craſsis excrementis: ſic iam patet, q̃ inter duo iſta extrema, ſunt multa latitudo & plura media, prout calor magis ad ignem accedit uel ad temperatum, ut multi fiant gradus & colores ipſius urinæ. Sic etiam dicimus de alio oppoſito, ſcilicet de defectu caloris. Quòd ſi fuerit paucus, humidum utile ſublimatum erit crudum, ſic & excrementa erunt cruda. Sic igitur iam apparet, q̃ contentum eſt corpus ſuperueniens aquoſitati ipſius urinæ, generatum per ſublimationem in urina, efficiens ipſam urinam ſecundum uarias differentias, & ſic apparet quòd contentum ſit ſeparatum tota natura ab ipſa urina, quæ ſunt excrementa: uerbi gratia: terrea admixta in urina, & ſunt diſtincta. Diximus igitur, quòd contentorum ſint quædam ſenſu perceptibilia, quædam uerò imperceptibilia.

lia. Quæ sunt imperceptibilia, & nullo sensu possunt percipi, sunt quando apparet color in urina, ut niger, & tamen nullo sensu potest percipi substantia illa, tingens talem urinam: sed percipitur color, & sic iste appellatur contentum imperceptibile: de isto autem contento satis diximus superius, ubi loquuti sumus de colore ac eorum substantia: licet non dixerim sub nomine contenti, tamen uidimus, quòd color fiat ob aduentum alicuius humoris, ex quo humore colorante fit contentum imperceptibile. Nunc est aliud genus contentorum, quod perceptibile dicitur, nam sensu facilè percipi potest & horum duplex est differentia. Nam quoddam ita sensu percipitur, ut nō occupet determinatam partem urinæ, sed æqualiter & omninò occupat totam urinam, ut uidemus de substantia crassa in urina & turbida, in qua non est locus determinatus illi contento, sed totum occupat. Aliud est contentum, quod occupat tantummodo unam solam & determinatam partem, & de isto inferius dicemus: quoniam uolo prius dicere de primo, scilicet occupante totam urinam. Contentum igitur æqualiter totam urinam occupans, reperitur in urina turbida & crassa, & apparet contentū, cum urina mingitur turbida, & permanet turbida: uel huiusmodi contentum ita se habet, ut cùm mingitur, occupet totam urinam, & postquam micta est, occupet determinatam partem: uel mingitur clara & posteà turbatur. Sæpius autem uidimus fieri huiusmodi contentum, & sic sunt tres differentiæ contentorum occupantium totam urinam. Rursus contentorum occupantium certam ac de

terminatam partem quædam occupant extimam partem
& superficiem, quædam corpus, quædam intimam partē
occupant: quæ superficiem occupant, sunt in triplici dif=
ferentia: uel sunt spumæ, & sunt in forma ampullarum,
uel sunt in forma pinguedinis, uel sunt in forma liquoris
colliquati, & pinguedinis occupantis coronam ipsius uri
næ, de qua inferius. Spumæ autem, quæ ampullas faciunt,
uel sunt crassæ, uel tenues, uel facilè aut difficulter excus
sibiles, uel totam occupant superficiem, uel partem tan=
tum, uel coronam urinæ: ista est prima differentia eorū,
quæ apparent in superficie. Secundum genus est pingue=
do, & habet suas differentias, uel est pingue, ita ut conge
letur, ut poßit tolli manu, adhæret enim in superficie con
gelatum: uel non est congelatum, sed est instar guttæ olei,
& apparent oculi quidam magni in urina, & adest quod
dam pingue colliquatum: ut quando habemus ius pingue,
& non uidemus illos oculos, nec illam pinguedinem con=
gelatam, sed apparet solum quædam pinguedo plana, sic
etiam contingit in ipsis urinis. Tertium genus est circulus
qui est in superficie urinæ, de quo nunc dicturi sumus cum
suis differentijs: quoniam maximum iudicium sumitur ab
his omnibus modis. Circa hæc autem benè animaduerta=
tis, eò quia hæc pars medicinæ est ualde imperfecta a=
pud Medicos, & multi Medici hæsitant circa hanc par=
tem: multum enim refert cognoscere hunc circulum in su=
perficie urinæ, quia ab eo oriuntur multa ac diuersa iudi
cia. Aliquando autem est latior, aliquando strictior, ali=
quando diuersorum colorum: sæpe enim apparet in co=
lore

lore ueluti oleum, quandoque luteus, quandoque subniger. Etiam secundum diuersitatem colorum ipsorum nascuntur, & fiunt diuersa iudicia: non autem in præsenti opus est immorari in ipsis differentijs, quoniam per suas causas, perq; sua iudicia inferius referemus omnia, singula singulis opponendo. Hæc igitur de contentis in urina apparentibus dicta sint. Restant modò & alia contenta, quæ sunt in corpore urinæ, quorum duo sunt genera. Quædã enim supremam partem, & quædam æqualiter totum corpus urinæ occupant: ista autem omnia dico differre ab alijs tribus differentijs. Deueniamus iam ad primum membrum horum quatuor. Primum genus contentorum in corpore urinæ apparentium est in fundo: est autem uarium. Primò, quoad substantiam semper uarium est: contentum enim hoc in loco residens non habet propriam naturam terminatam alicuius humoris, nec alicuius substantiæ terminatæ & nominatæ: nam apparet grumus quandoque sanguinis, quandoque carunculæ, quandoque sanguis, quandoque lapis, quandoque pus, quandoque arenulæ apparẽt: hæc autem omnia substantiam nominatam & terminatam in fundo habent: quandoque uerò apparent in fundo quæ nullum habent uocabulum: at sic nominantur & appellantur per quandam similitudinem, & extrahuntur in unum locum, & dicuntur nomine Crimnodes à Græcis, scilicet Gal. & Hippo. Qui autem transferunt è Græco in Latinum uocabula, dicunt hæc esse, ut sedimenta farinæ leuiter confractæ. Alia apparẽt in urina à Græcis dicta orobina, quia sunt similia orobis et subnigra. Ibi non sunt ca-

runculæ, nec grumi ſanguinis, ſed tantum orobina ſedimenta. Huiuſmodi autem apparent in urinæ fundo interdum ad ſimilitudinem capillorum, non tamen ſunt capilli: quandoque etiam uidentur in fundo quædam, ut furfures, non tamen ſunt. Nonnulla etiam alia apparent in fundo, quæ dicuntur uel foliacea, uel ſquamea. Hæc omnia apparent in fundo urinæ, & communi nomine à Græcis dicuntur ὑποστάσεις, ideſt ſedimenta. Hæc autem quoad ſedimenta in fundo urinæ, plura enim non inueniemus. De accidentibus iam, & primò de magnitudine dicemus uaria: aliquando apparent magna, aliquando parua: magna apparent ut fruſtula farinæ: parua autem ſicut orebacea illa: hæc ſunt ualde neceſſaria, & magni refert has cauſas cognoſcere, hæc enim nobis tanquam exordia procedendi dicta erunt. Quantum autem ad ſedimentorum magnitudinem maximè refert cognoſcere, num parua ſint, an uerò magna. Prætereà eſt conſideranda figura ſedimentorum, eò quia apparent uel rotunda, uel pyramidalia, habent enim figuram pyramidis. Quantum autem ad modum ſubſtantiæ, ſunt etiam ſedimenta uaria: nam alia uidentur æqualia, alia inæqualia: æqualia, ita ut uideantur eſſe continuata in tota ſubſtantia, ut nõ uideatur eſſe pars una mobilior, altera uerò aſpera magis, pars alia craſſa, & alia ſubtilis, uel dura aut mollis: quandoque etiam ſunt uiſcida aut terrea, aut ſunt leuia et nõ uiſcida: quandoque ſunt adeò uiſcoſa, ut talia ſedimenta adhæreant fundo, & reddantur immobilia: quædam etiam leui motu mouentur, quod eſt ſuum oppoſitum. Alia ſunt alba, alia nigra,

gra, alia oleaginea, & diuersimoda & uaria, ut superius de coloribus dictum est. Inferius autem dicemus causas et differentias cum suis iudicijs. Hæc, quantum attinet ad ὑποστάσεις. Accedamus nunc ad secundum genus, quod est necessarium scitu, & dicitur de his, quæ ἐναιωρήματα appellantur. Dicuntur autem sic, eò quia suspensa maneant in medio corporis urinæ: nam uerbum αἰωρέω significat suspendo, & malè possumus Latinè pronunciare. Sunt enim suspensa quædam, de nominibus autē non curamus: dicuntur enim sic talia sedimenta, quotiescunque occupant mediam partem, uel sedē urinæ, nec sunt in superficie, non in parte superiori, nec in fundo. Quæ igitur suspenduntur in medio, de his optimè debemus considerare omnes differentias, quemadmodum etiam diximus de hypostasi. Primùm autem considerate modum substantiæ, colorem, quantitatem, figuram, & omnia necessaria. Quod autem de secundo genere dicam, id de tertio quoque sedimentorum genere dicturus sum: quod nebula dicitur, quæ à Græcis νεφέλη, uel nubes occupans contentum, totam supremam partem urinæ occupat, non tamen extremam: occupat (inquam) extremam citra uel extra superficiem ipsius urinæ: hoc autem sedimentum habet suas differentias cum suis causis, sicuti de alijs supradictum est. Restat modò quartum genus sedimentorum, quoniam quædam materiæ minutæ disseminantur æqualiter per totum corpus, uel per totam urinæ substantiam: quorum sedimentorum pars una residet in fundo, alia in medio, alia in suprema parte, & ibi sistunt. Loquor autem de se-

dimentis

dimentis in quarto genere, quæ æqualiter occupant totum corpus urinæ; & non discedunt à tota urinæ substantia, sed ibi permanent, & hæc sunt quædam frustula parua, quæ in urina ipsa (ut dixi) manent, sed per eam modò sursum, modò deorsum deferuntur, quemadmodum atomi, corpuscula illa minutissima in sphæra Solis intra fenestras in cameris, sed sedimenta hæc in urinis maiora sunt ipsis atomis. Circa hoc debemus notare unum, quòd nonnulli sint, qui non nouerunt situm istorum contentorum se mouentium dextrorsum aut sinistrorsum indicare uariam differentiam & diuersitatem iudiciorum, & si sint in fundo, uel in medio, uel in parte superiori: quòd si declinant magis ad dextram, uel ad sinistram, uel è contra, uolunt iudicium fieri ratione ipsius situs: & ut dicimus ipsos uelle de sedimentis ab ipso situ, sic uolunt ipsimet de magnitudine & circulo uel corona apparentibus in superficie. Volunt enim, quòd in parte dextra iudicari debeat affectus, si sedimenta ipsa tendant ad partem dextram uel sinistram, & sedimentum magis occupet partem sinistram urinæ: sic dicatur de hypostasi, & de alijs sedimentis. Ideo autem secundum ipsos si pars corporis erit affecta, sinistra utpote, & sedimentum appareat in dextra, urinæ affectus secundum ipsos erit etiam in parte dextra corporis, et non in sinistra. Ergo necessariò affectus non erit in parte, in qua est, sed erit ad placitum, & secundum quod erunt sedimenta urinæ locata: at hoc est ualde ridiculum, suntq; meræ nugæ, dicunturq; absque ratione. Si enim habent corpora dextram partem, sinistram, mediam, sursum & deorsum,

orſum, tum uas in quo oſtenditur urina, nullam habet partem ratione ſitus, non enim habet dextrum uel ſiniſtrum, ſed eſt totum unum atque pars una: at in corpore eſt una pars magis dextra quàm alia. Dico autem, quòd quando conſideratur, nunquid ſedimentum magis uerſetur ſurſum uel deorſum, illud quidem habet quod ſignificet, ſed non erit ratione ſitus. Alia etiam ratione commonſtrandum eſt, ut uidebimus inferius: ideo quòd ſedimentum in urina ſit magis in fundo quàm in medio, uel quàm in ſuprema parte, uel in ſuperficie, non eſt ratione ſitus, quapropter cauendum eſt ab huiuſmodi erroribus. Erit ergo alia ratio, per quam indicabimus hoc uel illud eſſe peccans, in corpore, & non ſitum. Iam ſatis dictum ſit de differentijs omnium horum contentorum.

DE CAVSIS CONTENTORVM. CAP. VIII.

Modò accedamus ad ſingulorum cauſas, & ad ſua iudicia. Primum genus contentorum eſt, quando uidelicet contentum eſt in tota urinæ ſubſtantia, & ita ut urina efficiatur turbida, ipſumq; contentum uidetur eſſe de ſubſtantia urinæ, adeò eſt illi commixtum, cùm tota ſit turbida: ob hoc diximus urinam eſſe in triplici differentia. Vel enim talis urina mingitur turbida, et turbida etiã manet tota: uel mingitur turbida tota, poſt emiſsionem uerò fit clara ſecundum partem: uel emingitur clara tota, & poſt permanet clara ſecundum partem: nam contentum poſt miſsionem habet occupantem partem eius.

Hæ sunt tres differentiæ & superius enarratæ, quando urina turbatur à contento, ut uideatur de substantia urinæ. Deueniamus modò ad causas uniuscuiusque differentiæ: prius autem opus est unum præscire, ut superius dictum est, quòd in hepate & uenis sanguis perficitur. In hepate enim sanguis post concoctionem perficitur, postmodum in uenis accipit suam ueram formam per sublimationem, quæ sublimatio fit à calore naturali concoquente. Vbi ergo fuerit calor naturalis, præualueritq́; semper faciet sublimationem naturalem, et concoctionem optimam, & per consequens necessariò sua excrementa erunt bona, perfecta et naturalia in omnibus suis qualitatibus. His modò sic positis, ubi uiderimus urinam cum turbulentia, uoluerimusq́; indagare aliquam causam ibi adesse præter naturam in calore concoquente, scire debemus id posse esse dupliciter: uel enim uitium est propter diminutionem caloris, aut propter augmentum eius, ita ut fiat magis igneus: quando enim acrimonia fit, semper augetur intensio magna illius caloris. Vnde quando uidemus hanc turbulentiam in urina, debemus dicere, cōcoctionem nondum factam esse, nec sublimationem, sed adhuc fit in urina. Nam si fuerit sublimatio huiusmodi à natura, concoctio erit debita naturaliter à calore: & illa pars, quam appellamus humidum utile, si optimè & naturaliter concoqueretur, & sua excrementa essent bona & laudabilia, urina etiam non turbida, sed secundum naturam tunc appareret: sed quia apparet urina turbida, ergo sublimatio non est facta: indicabitur ergo necessario, quòd ubi uri-

na

na est turbida, ibi non sit recta concoctio, & quòd ibi est calor agens cum materia. At cùm calor poßit per sublimationem agere & concoquere, uel ad generationem uel ad corruptionem tendens, adhuc his habitis non potest discerni, num sit calor præter naturam, an uerò calor naturalis, qui sublimet & concoquat, sed tantummodo sunt occulta quædam agitationis & sublimationis incognitæ: non enim per hæc adhuc potest deprehendi, à quo calore fiat, uel à naturali, uel à præternaturali: sed tantum materiæ habemus motum, & agitationem caloris esse in humores inclusos in uenis, & ita ut adhuc non sit facta distincta sublimatio & concoctio. Vbicunque autem uiderimus tales urinas mingi turbidas, & post etiam manere turbidas, tunc debemus iudicare, per hanc turbulentiam, maximam esse agitationem humorum in uenis à calore non rectè concoquente, & motum esse maximum, maximamq; confusionem. Nam permiscentur humores utiles cum inutilibus, & nulla fit separatio. Adhuc autem non habemus, in quo calore fiat hæc agitatio, an in naturali per generationem, an in præternaturali per corruptionem: ut hoc inueniatur, alia est inuenienda uia: uidelicet, an sit hic motus à calore bono naturali sublimante, concoquenteq; hoc (inquam) est uidendum. Primò autem uidendum est, nunquid hæc urina turbida appareat talis in principio ægritudinis, an post principium. Nam si apparebit in principio morbi urina hæc turbida, erit peßima: nam indicatur, quòd calor naturalis in eo principio non aggreditur

mate-

materiam & nulla iam eſt inceptio concoctionis ad generationem, ſed eſt calor præternaturalis igneus dominans calori naturali: uel qui putreſcat (quia ſeparatur à calore igneo calor naturalis) qui calor præter naturam permiſcet & perturbat totam maſſam ſanguinis, quam iſti ſubiugalem appellant. Vbi ergo uiderimus talem urinam turbidam in principio ægritudinis, debemus etiam attendere ad ſuam uirtutem, quænam ſit, debilis ne, an ualida: temperaturam ægri quoque perſpicere debemus, & pulſum, debilis ne ſit, nec ne: ætatem ſuam, an iuuenis ſit, an uerò ſenex, et tēpus anni conſiderare oportet, ſcilicet an æſtas, uel hyems ſit. Nam ſi uirtus debilis eſt, & pulſus cum tali urina turbida, tunc nulli dubium eſt, quòd ille moriturus ſit, & quidem citò. Ratio autem eſt, quòd calor naturalis ſuperatur à præternaturali: quia calor naturalis non poteſt ei reſiſtere, nec uirtus poteſt permanere, nec reſiſtere. Ideo uirtute apparente in principio morbi cum debilitatione, et cum tali materia ſubiugali dicatis ipſum ægrū citò moriturum: & ſi etiam uirtus fortis & conſtans, et non debilis copuletur in principio ægritudinis cum tali turbulentia, tunc etiam eſt malum indicium, & de morte periculum eſt: nam morbus futurus eſt aut longus, aut æger morietur. Hanc autem urinam ſemper facere malum indicium à principio morbi ratio eſt: quia calor præternaturalis ſuperat calorem naturalē, calor enim igneus agit in malam materiam: etſi etiam æger fuerit iuuenis et fortis, tamen ſemper eſt malum ſignum: quia dum calor iſte igneus agit ad corrumpendum per ſublimationem,

ſicuti

ſicuti calor naturalis dominans cõcoquit ad generationẽ. Quare dico, quicunq; æger in principio urinam minxerit turbidam, & ſic perſeuerauerit, hunc citò moriturum: nam cauſa huius eſt calor præternaturalis, agens contra humores intra uenas, dominans naturali calori, perq; ſublimationem uerſus corruptionem, facit talem urinam turbidam in principio. Si iuuenis eſt debilis, & uirtus eius inualida, oportet etiam mortem, uel ægritudinem fore longam? Cauſa autem peßima eſt calor præternaturalis, ergo & malus erit affectus talis. Ergo talis urina à principio morbi ſemper erit mala, & ideo oportet nos rectè aduertere in his, cùm ſemper adferant malum iudicium. Habemus igitur cauſas huius urinæ turbulentæ quæ cauſa eſt calor igneus putredinalis, dominans calori naturali, qui ſublimat materiam ad corruptionem, ſemper ideo in prognoſticis attendendum cauſæ. Si autem urina non fuerit in principio ægritudinis turbida, ſed clara mingitur, & poſteà fit turbulenta & craſſa, ſiue ſubiugalis, tum pro certo habeamus hunc morbum deteriorem fieri, & in deterius labi, atq; eſſe prope ſtatum, cùm ſuum ſit oppoſitum, & ideo debemus ſemper diſtinguere ipſum. Habent hæ urinæ ſuas cauſas ſeparatas: at ſi urina primò fiat turbida, pòſt etiam turbulenta, debemus (quemadmodum dixi) uidere ſuam uirtutem, qualis nam ſit, pòſt uidere pulſum, ſit ne debilis, an fortis. Si autem non eſt debilis, ſed fortis & conſtans, & æger facilè & blandè tolerat ſuam ægritudinem, ſuaq; accidentia, poſteà uerò uideamus urinam turbidam & nigram, atque permanere tur-

bulentam, & omnia alia signa bona habere, quæ superius dicta sunt, bonum signum est futuræ crisis, quoniam indicatur iam uirtutem ualidam esse, colorq; naturalis est ille, qui in uenis aggreditur materiam concoquentem, & incipit superare materiam ipsam, ideo morbus iste est prope statum. Fit autem urina pòst turbida, quia dum calor naturalis incipit præualere contra materiam illam in uenis, pugnat ipse cum materia & cum calore præternaturali, unde maxima fit materiarum agitatio: nam permiscentur tunc materiæ utiles cum utilibus per coctionem caloris naturalis. Ideo cùm humores sic agitentur ab illa pugna, quæ perturbat illos, necessariò tum urinæ minguntur turbidæ, quia humores sunt misti & perturbati, nec adhuc materiæ sunt distinctæ à calore naturali, nec separatæ. Postquàm exierit urina turbida, per manseritq; turbida, ratio est; quoniam (ut dixi) nondum sunt separatæ materiæ bonæ à malis, lic t sint unitæ, necdum est facta exquisita concoctio, sed in cocta tantum, confusa ac imperfecta: quapropter nec excrementa suam propriam habebunt formam, nec contenta obtinebunt suum locum signatum ac terminatum, cùm contenta tamen non habeant proprium locum. Ergo omnia tum sunt confusa & permixta præ maxima agitatione humorum ratione caloris naturalis, qui omninò uult minuere materiam & calorem præternaturalem. Signum autem, calorem naturalem esse causam huius permistionis, non sumitur ab urina, sed ab alijs signis in corpore existentibus, scilicet à uirtute forti, à pulsu forti & plano, à bona tole=

tolerantia ægri, & ab ætatibus: non poterimus igitur habere tale signum & iudicium ab ipsa urina, sed ab his prædictis signis cum ipsa urina, num calor sit naturalis, an præternaturalis, qui hoc efficit. Hæc autem signa per confirmationem signant, & unionem indicant, & unum signum adiuuat alterum, & faciunt bonum iudicium de morbo. Vnum autem signum non sufficit ad hoc, sed omnia hæc signa dicta, scilicet pulsus, uirtus, bona ægri tolerantia: etiam ea conijcere oportet, perspicereq;, an conueniant, nec ne: si benè conueniant, & sint bona, bonũ fiet iudicium, si ægritudo iam est in statu. Vrina autem post principium apparens turbida, & permanens turbida, ex qua urina ita turbata multi Medici huius ignari, statim inquiunt, pronunciantes sine distinctione, concoctionem proximè futuram, nam aiunt materiam tum concoqui, ex qua concoctione fiat motus & agitatio in materiam, & ideo apparet turbida. Sic semper pronunciant tale signũ, non respicientes ad aliquid aliorum signorum, sed tantummodo ad urinam, à qua sola nullum uerum possunt excerpere iudicium de ægritudinibus, ut ipsi faciunt, sed sano modo distinguendum: quoniam (ut dictum est) si post principium urina illa apparuerit turbida, quotiescunque æger habuerit etiam alia dicta signa simul conspirantia & indicantia sanitatem, illa urina turbida dabit nobis signum bonum, significat enim bonam materiæ concoctionem citò futuram. Oportet autem animaduertere urinam turbidam post principium: non enim semper salutem afferet, sicut illi boni Medici affirmant, eò quia à principio

interdum apparet hæc urina turbida, tamẽ æger ad mortem tendit, & quidem citò. Non autem cognoscitur ulla concoctio quàm per alia signa enarrata: nam uirtute existente debili, pulsu præternaturali, cumq; æger suas fæces liquidas colliquatiuas habuerit nullam formam præsentantes, est signum infallibile, quòd æger tendat ad mortem. Nam augetur putredo in corpore, quæ à calore igneo præternaturali intenso sublimatur magis, atque ad corruptionem tendit magis, ubi omnia sunt confusa & permista, nec humores nec contenta habent suam propriam sedem: quemadmodum accidit in febribus pestilentibus, in quibus à principio urina mingitur clara, posteà fit turbida. Hæc turbulentia in hac urina non est eò, quia calor naturalis incipit agere in materiam, & concoquere eam, ex qua pugna & agitatione apparet hæc urina turbida: sed turbida talis est urina, quia materia est maximè mala, & calor præternaturalis dominatur naturali, unde fit putredo: hæc causa bonum non indicat signum, sed pessimum: Nam calor præternaturalis agit in materiam illam sublimando, & semper magis augetur illa putredo, omnesq; materiæ illæ confunduntur simul, nullum quoque locum determinatum & proprium habent. Ideo multa existente materia mala, auctoq; calore præternaturali, cum uirtute debili & alijs signis malis, quid mirum si contenta huius urinæ non erunt bona, nec possunt indicare salutem? Existente ergo post principium urina turbida cum alijs signis in tali corpore à præternaturali calore, diligenter ut uerè prædicas, uidendum tibi est, ne ex

sola

sola illa turbulentia quid temerè dicas: nam etsi ex calore aucto præternaturali, qui putredinem inducit, apparet turbulentia, non ideo tamen ex ipsa turbulentia urinæ debemus arguere malum iudicium, sed oportet uidere & alia signa, quomodo se habeant, bona ne an mala sint. Dico igitur, quòd cum mingatur urina turbida permanetq; turbida, tum non est temerè de ea iudicandum, sed opus est, ut tempus ægritudinis distinguatur, quando. s. mingatur, in principio ne an uerò post principiũ morbi. Quoniam si facta fuerit in principio, semper illa ægritudo erit mala: nam si cum ea urina uirtus erit debilis, & alia mala signa uiderimus, tunc iudicabimus mortem futuram: si uerò alia signa erũt sana, uirtus etiam sit bona, pulsus ualidus, tunc etiam illa urina cum alijs dicet talem morbum esse longum, quoniam adest multa materia mala, quæ nõ potest uinci à calore naturali, ideo morietur, ut supra dictum est. Si autẽ post principium urina mingatur turbida, & remaneat talis, tamen uirtus sit fortis & pulsus ualidus, bonum erit indicium, quoniam calor naturalis agit in materiam, & incipit concoquere eam, diuiditq; excrementa ab utili, unde fit concoctio tenuis. Et si post principium morbi mingatur turbida urina, & in eodem statu permaneat, et sit uirtus debilis, pulsus imbecillis, omniaq; signa sint mala, malè tum de eo iudicetur, tendit enim ad mortem. Iudicatur quoq; multam materiam adesse malã, & calorem præternaturalem dominari, unde fit putredo magna: ideo apparet urina turbida, & statim sic etiã omnia alia signa insalubria apparent. Secunda differentia

est, cum urina mingitur turbida, pòst autem redditur clara, hoc est bonum signum. nam sicuti uidemus de urina, quæ fit turbida, & permanet turbulenta, malum esse signum semper: sic cùm hæc urina mingitur turbida, si posteà clarescit, hoc est bonum indicium: nam indicatur calorem naturalem præualere materiæ, & optimè eam concoquere: uideamus autem modò, quænam sit causa: cur primùm sit turbida, posteà clara fiat urina. Dico causam huius esse, quoniam natura facit motum in primis & agitationem in materiam, & incipit concoquere eam, sed nondum partes sunt separatæ, ibi enim calor incipit agere: unde fit agitatio, ex qua agitationem in materia apparet turbulentia in urina. Non habes adhuc, quis sit calor iste, & unde appareat materia turbida: ponatur autem q, calor ille sit naturalis. Vnde habes hoc? & quomodo iudicabis ipsum esse naturalem, qui agit? Suprà diximus, q, ubi urina turbatur, hoc fieri posse à calore agente, qui calor agens potest esse naturalis aut non naturalis: hoc autem dubium est, cum urina sit turbida. Attamen dico calorem in hac urina esse naturalem, dum mingitur, etsi turbata sit, & qui eam perturbat, non est præternaturalis: ratio autem est: quia si esset calor præternaturalis, qui perturbaret hanc urinam, etiam urina semper esset præter naturam, & semper post maneret turbida, quia calor præternaturalis habet corruptionem semper, ergo semper perturbat. Hæc autem urina postquàm clarefacta fuerit, redditur tenuis, prius autem erat turbida, ideo calor est naturalis, qui primùm perturbauit hanc urinam mouendo,

agitan=

agitando, & concoquendo materiam aliquo modo, ideo quia nõ erant adhuc partes bonæ ab inutilibus ſæparatæ, apparebit in principio urina, dum mingitur, turbida, ſed poſteà clareſcit: quoniam calor naturalis in corpore incipit agere in illam materiam ſublimando ad generationem ſanguinis. Ideo etiam in hac urina pòſt apparente clara iudicium eſt manifeſtum, q natura incipiat præualere materiæ, eamq; concoquere, nondum autem adhuc perfecit opus ſuum, quia materiæ & humores nondum ſunt in proprio loco: ergo cùm mingitur, apparet urina turbida, ſed non permanet ſic, fit enim clara: quoniam partes illæ humorum, quæ ſeparantur, poſſunt habere & acquirere ſuam propriam formam à calore naturali omninò ſegregante & concoquente etiam, eò cùm urina iam eſt emicta, fit quædam ſeparatio & concoctio materiarũ corpus in urina ſequens, quod intendebat in corpore, & ideo fit urina poſteà lucida: & ſic urina dum mingitur, fit turbida, ratione qua diximus, quia non eſt perfecta materiarum concoctio facta, unde inceperat augere propriam formam unuſquiſque humor: cùm non ſit facta urina, calor ſequitur ſuum innatum, & dat ſuam formam illis, unde urina pòſt fit lucida: tunc autem partes omnes materiæ ſuum habent locum. Vbi igitur urina redditur turbida, redditque poſteà clara, dicamus, quòd ſuum agens ſit calor naturalis, qui incipit concoquere ſublimando partes bonas à malis. Hæc autem ſatis de ſecunda differentia dicta ſint cum ſua cauſa, à qua ſumitur ſuum iudicium. Reſtat modò ter-

tia pars, quæ scilicet est, cùm urina mingitur clara, po- steà perturbatur. Notare oportet has duas primas differentias, scilicet quando urina fit turbida, & permanet turbida: & quando urina fit turbida, & posteà redditur clara: hæ enim duæ differẽtiæ semper requirũtur in ægris, nullo autem modo in sanis. Nam est signum in illis duabus differentijs, nempe q, ibi sit aliqua causa præternaturã, & existat aliqua materia, quæ uel concoquatur à calore naturali, aut perturbetur à calore præternaturali: semper enim unum est ex his, ut dum urina fit clara, posteà turbetur: hæc enim differentia reperitur tam in sanis q̃ ægris: uel potius dicamus, q, cùm urina fiat clara, posteà reddatur turbida: quod non reperitur in corporibus sanis, quæ non habent ueram sanitatem, sed sanitatem culpatam, quoniam sanitas maximam habet latitudinem, & diuersos gradus. Sed quæramus modò causam, cur prius urina clarescat, deinde turbetur: urina quidem nobis indicat, q, apparente hac urina est aliqua causa præternaturalis in uenis, quæ indigeat concoctione & sublimatione à calore naturali, ut reddat eam ad bonam formam sanguinis: signum est etiam, q, calor quidem & spiritus occupauerint illam materiam, & quasi impugnauerint eam, unde facti sunt illi affectus, primum urina clara, deinde turbida. Sed an calor & spiritus isti sint naturales, an uerò præternaturales? Vbi enim hæc materia est in uenis, quæ debebat concoqui & sublimari à calore naturali & spiritibus: dum sublimatur materia illa à spiritibus, in ea est luciditas & claritas: quoniam spiritus sunt lucidi & clari

v. clara q̃ postea fit turbida

ex se, ideo spiritus eam reddunt claram, raram, & lucidam. Quæ materia cum est ita reddita à calore & spiritibus, posteà excernitur per urinam, & sic urina mingitur clara, & tam diu urina illa cum sua materia permanet clara, quàm diu calor & spiritus in ea perseuerant. Posteà uerò cùm urina per tempus morata fuerit sub aere, & erit refrigerata, spiritus illi euanescunt, & absumuntur per aerem, & tum illa materia siue humor redit ad suam pristinam malam naturam, ideo urina posteà turbatur: nam remota causa luciditatis scilicet spiritibus, remouebitur ipsa luciditas, et subsequetur obscuritas. Dictum igitur est, quomodo se habeat urina tam in sanis q̃ in ægris: quòd enim primùm fiat clara, deinde turbida reddatur, prouenit à materia putredinali existente in uenis. Primùm fit lucida ratione spirituum inclusorum in ea: deinde quia absumuntur spiritus ab aere, redditur turbida. Si urina fiat clara, deinde turbetur, & sit à corpore sano, reddenda modò est causa, quare sic turbetur urina clara per emißionem. Cùm enim est humor crudus existens in ipsis uenis, non est adhuc sublimatus à calore naturali & spiritibus, nam calor ipse in corpore inceperat iam malam materiam concoquere, licet admodum diminutè adhuc & obscurè concoxerit eam, unde iam inceperat aliquo modo agere. Nam dum ipse calor penetrat materiam crassam malamq́; & tumescit ea, signum est, quòd iam calor inceperat eandem materiam reddere prægnantem & tumefacientem illam (uti enim uocabulo prægnante hoc in loco licebit) Et si eam imprægnare inceperit,

tamen nondum concoxit, tali in termino existens huiusmodi materia, exit per urinam, & mingitur illa semper clara: quoniam calorem & spiritum, quos habet illa materia in corpore secum permistos, qui ipsam humidam reddũt, incipiuntq; concoquere, etiam nunc dum mingitur ista urina, habet ipsum calorem cum spiritu ei commistum. Dant igitur urinæ luciditatem, nam spiritus de se sunt lucidi: ideo dum mingitur, apparet lucida, & reddit materiam illam lucidam & rariorem: posteà uerò cùm eadem urina morata fuerit aliquandiu sub aere, refrixeritq;, efficitur turbida. Calor enim & spiritus existentes in urina illa, expirant & euanescunt, unde materia illa remanet cruda, ut prius in uenis sine calore et spiritibus: nam difflantur spiritus (ut dixi) cum calore naturali, quibus remotis redditur urina turbida. Hæc autem est uera causa, cur urina prius clarefacta in sanis, fiat deinde turbida. // Semper igitur iudicabimus, ubi apparuerit talis urina, in uenis esse humorem crudum nondum concoctum, quem humorem crudum nondum incepit concoquere, sed tantũmodo calor naturalis cum spiritu ipso incepit tumefacere: nondum. n. conuertit ipsam ad coucoctionem, sed ad imprægnationem. Si igitur uidemus hanc urinam primò clarã, deinde turbidã à corpore sano, iudicamus tunc ibi esse materiã crudam in uenis, et calorẽ naturalẽ nondum imprægnauisse materiã illam. Per hæc autem dicta nondũ habemus, quisnam sit iste calor, qui intumefacere hanc materiã incipit: posteà absumitur ab aere, siue naturalis siue præternaturalis sit: quapropter si hoc scire uolumus, opor=

oportet alias distinctiones habere. Cùm igitur animaduertimus hanc urinam turbari in corpore sano, iudicamus tũ, q̃ calor naturalis reddiderit materiam illã prægnantem & plenam spiritibus, quæ materia est cruda intra uenas. Dicamus igitur, q̃ in corpore sano mingente talem urinam est calor naturalis, non autem præternaturalis, & q̃ sit humor crudus contentus intra uenas, qui nondũ impregnatus est ab ipso calore naturali, nec concoctus: quia non potest cõcoqui materia illa ab ipso calore. Quotiescunque autem sanus minxerit urinam talem præter consuetudinem claram, scilicet, quæ deinde citò turbata fuerit, ille debet prospicere sibi, maximè circa rationem uictus, habet enim humores crudos intra uenas. Facilè .n. in febres inciderent: primò autem in obstructiones maximas, nam iste humor crudus est ueluti exordium alicuius ægritudinis. Semper ergo dicamus apparente tali urina in sano corpore, necessariò ibi esse humorem crudum in uenis: si talis urina apparuerit in corpore ægro, oportet distinguere, siue talem uiderimus in ægritudinibus, siue in principio morbi, siue post principium. Si in principio ægritudinis mingitur clara, posteà autem turbatur, quæ nam est causa huius urinæ? Non possumus dicere calorem naturalẽ efficere, quòd uir iste decumbat, & ægrotet. Calor enim naturalis statim non aggreditur materiam crudã, sed calor præternaturalis et igneus impugnat talem materiam spiritu igneo: si autem fuerit uirtus constans, tunc indicatur talem ægritudinem futurã longam: si uirtus fuerit debilis, ut in urina senis, tunc peri-

periculum mortis imminet, si in principio apparuerit talis urina. Vbi autem uiderimus talem urinam mingi post principium, tunc animaduertamus, num alia bona signa adsint, scilicet in substantia, colore, quantitate: si autem reliqua signa erunt bona, istud signum etiam erit bonum. Signum est calor naturalis, qui imprægnat talem materiam, non autem præternaturalis: nam si esset præternaturalis, non adessent aliqua signa bona: præcipuum autem signum sanitatis est, si æger benè toleret: à longinquo autem indicat, non quòd à natura sit progressa et inceperit agere, & sublimare materiam, sed imprægnasse: quòd si sit cum malis accidentibus, tunc significatur materiam esse auctam, quæ putrescit, & ita urina mingitur clara: quoniam calor putredinalis impleuit & imprægnauit illam spiritibus, posteà cùm micta fuerit, redditur turbida. Ratio facilè aßignari potest: quoniam spiritus illi infusi (ut ita loquar) à calore illo putredinali euanescunt, ac ipsam cum turbulentia relinquunt, indicium est calorem putredinalem augeri: ubi autem uidemus talem urinam, statim contemplemini reliqua signa. Si reliqua omnia erunt signa bona, benè iudicandum est, sin mala, malè. Non igitur temerè pronunciandum est, sed particulariter omnia considerare, & cum distinctionibus iudicare oportet. Expedito iam primo membro nostræ diuisionis, nunc de his, quæ in extima superficie manent, noster erit sermo: diximus esse tria, scilicet spumam, pinguedinem, & coronam. Primò autem loquamur de spuma adueniente ipsi urinæ, & quæ nam sint cau

sæ

ſæ iſtius ſpumæ, & generatio. Si igitur uolumus ſcire, unde generetur ſpuma, meminiſſe debemus illorum, quæ ſuperius diximus, et uidimus, quòd ex uno principio iacto oriantur, quæ à me dicta fuerunt. Diximus enim urinam eſſe excrementum aquoſum ſanguinis: & uidimus quòd calor in hepate eſt ille, qui ſublimat ſanguinem: atque etiam, quòd ſi bona fuerit concoctio, & calor fuerit ſecundum naturam, excrementa fiunt etiam ſecundum naturã. Si uerò peccet materia, & calor, non ſit proportionatus ſecundum quod oportet, tunc ſicut nõ ſequitur bona ſublimatio ſanguinis, ſic nec excrementa erunt ſecundum naturam. Si autem ſanguis erit optimè coctus & ſublimatus, ita & excrementa erunt bona ſecundum quod oportet. Hoc poſito, ſcire oportet, unde generentur ampullæ & ſpumæ: quod intelligemus, ſi prius ſciuerimus, quid intelligatur per ſpumam & ampullam. Ampulla igitur nil aliud eſt, quàm tenue quoddam ac rotundum corpus, apparens in aliquo humido, ex quo efficitur ſpuma: nihil autem aliud eſt ſpuma, quàm aggregatum aliquod ex multis ampullis. Vnde autem generetur ampulla, dicemus: Primò ipſa habet materiam ſuam, humorem uiſcoſum & ſpiritum craſſum, ex his igitur fit, & iſta eſt cauſa materialis: cauſa autem efficiens & proxima eſt concurſus iſtarum materiarum & confractio. Talis autem confractio habet ſuam cauſam, & habet duas cauſas in genere, licet aliqui uoluerint eſſe unam tantum. Nam Galenus in 2. Aphoriſm. 43. dicit duas eſſe cauſas, quoniam altera non reducitur ad alteram: quia unaquæque iſtarum reducitur

du=

Ampulla quid.

Spuma qd.

Mã

efficiens ca

ducitur ad actum, perq; se potest facere spumam, quæ causæ sunt motus & calor: in omnibus enim calor est, qui agitat: uidemus etiam, quòd in motu & calore effici possit spuma, nam apparet extra in aqua agitata à uento: & dicit Galenus ibi, quòd tutius sit dicere duas esse causas, quàm unam. Motus igitur est causa proxima efficiens: causa autem formalis est extensio materiæ uiscosæ, facta à spiritu incluso, & ubi spiritus inclusus non potest exhalare, ibi intumescit ac intenditur illa materia, & sic per suas causas spuma erit extensio humidi uiscosi, à spiritu crasso, propter agitationem factam à calore uel motu, estq; hæc diffinitio: nunc facilè est uidere, quæ sit causa ipsius spumæ in urina, si enim uerum est, quòd generetur à materia uiscosa, tunc ubi erit in uenis materia concoquenda uiscosa, & aderit calor aut motus & spiritus inclusus in materia, erit spuma, quum adsint omnes causæ. Apparet autem in superficie, quia subleuatur à spiritu, cum uiderimus spumam in urina, iudicemus materiam esse crudam in uenis, quæ agitatur à calore. Quis autem sit calor, naturalis ne an præternaturalis, nondum scimus. Ergo oportet uidere conditiones urinæ, nam si conditiones erũt naturales, & urina erit in bona substantia, quantitate et qualitate, eritq; laudabilis, iudicabimus calorem esse naturalem: hic autem sibi cauere debet, præsertim in uictus regimine. Si uerò ita sit in ægris, inq; principio, non est bonum signum: quoniam calor naturalis non agitat materiam in principio, sed ordinatè procedit: indicatur autẽ agitari materiam à calore putredinali. Si igitur uirtus sit

debilis,

debilis, & alia signa sint mala, erit & mala ægritudo, mortalisq;: Si autẽ post principium sit cum bonis signis, indicat quòd calor naturalis incipit aggredi materiam: cũm sit uiscosa, aggrediendo agitat ipsam: quòd si alia signa erunt mala, ut si hypostasis sit mala, & nigra corona mala & fœtida, tunc spuma illa producit malum signum: nam indicat, quòd calor naturalis non est potens resoluere materiam, sed aggreditur tantum ipsam, & generat illam spumam, & ideo illa spuma tunc mala est. Cũ autem uidemus talem spumam, & uirtutem debilem, iudicemus talem hominem citò moriturum: si uerò uirtus fuerit fortis, tunc non iudicamus mortem futuram, sed morbum esse ualde difficilem. Si spuma fuerit alba sine odore & hypostasi, tunc indicatur plurimam materiam adesse, materiam inquam crudam, estq; catarrhi signum, qui descendit à capite per uenas. Nam si descenderet ad uentrẽ uel pectus, non fieret spuma: si autem per neruos descenderet faceret alia incommoda, ut uidimus aliàs, quòd catarrhus à capite potest descendere, tum per uias latas .i. per gulam, tum per arterias, tum per neruos, tum per uenas. Quòd si per uenas descendat, facit spumam in urina, & sæpissimè uidemus tales urinas albas sine fœtore cum spuma, & signum est, quòd materia flegmatica sit in uenis, & agitetur à calore: sic igitur apparet uarietas spumæ: nam aliquando est multa, & arguit tunc multitudinem materiæ. Consideremus etiam, nunquid talis spuma diu permaneat, an uerò citò euanescat, & signum est, quòd materia sit quidem uiscida, sed in primo gradu uisciditatis

am=

ampullæ fiunt uix excußibiles, quoniam materia craſſa eſt, & ſpiritus craßi. Variatur etiam ſpuma in colore, nam ſi materia erit aduſta, ſpumæ erunt ueluti nigræ, tamen ſubalbicantes omnes propter ſpiritus, licet alia alia ſit nigrior. Eſt & alia differentia: aliquæ ſunt magnæ & raræ, & ſignificant paucitatem agitationis: quòd ſi ſint paruæ & plurimæ tunc magnam agitationem ſignificant, quòd patet experientia in agitatione alicuius rei uiſcidæ. Nam primò apparent ſpumæ magnæ & paucæ in principio agitationis, & ubi diutius agitantur, fiunt ſpumæ paruiores, ſed numero plures, & quanto magis agitabitur materia uiſcida, tanto magis apparebunt ſpumæ. Secundum genus contentorum in ſuperficie eſt pinguedo, quæ in triplici differentia eſſe dicitur. Prima eſt, ſecundum quod apparet in iure pulli: ſecunda eſt ad ſimilitudinem oculorum boum: tertia eſt, ſicuti præciſe eſt tela araneæ. Primæ, quæ eſt ſicuti pinguedo in iure pulli, cauſa eſt ſublimatio à calore naturali: eò quòd bona concoctio fiat à calore naturali, qui non aſſat, ſed concoquit, & ubi eſt optima materia, ibi non eſt aliquo modo ſuper natans. Primò enim calor naturalis extrahit pinguedinem, ſed non ita, ut totum exhauriat: ideo optima erit con coctio, quando pinguedo aliqua ſed pauca apparet in excrementis: & ut bona ſint excrementa, oportet ut leuem habeant pinguedinem, ideo igitur hoc eſt ſemper optimum ſignum. Secunda uerò differentia, quæ eſt ſicuti oculi boum, non eſt bona, quoniam ſignificant colliquationẽ alicuius partis, nam cauſa eſt calor præternaturalis agẽs

in

in aliquam partem corporis pinguiorem: Inde est, q; talis urina appareat in ægritudinibus renum in corporibus pinguibus, partes enim humidiores pinguedinis tunc liquefiunt, & faciunt oculos in urina, & signum est, q; pauca adsit liquefactio. Tertia differentia est crassities, q; si ista crassities siue pinguedo appareat in urina, sicut tela araneæ, & sit febris, dicamus esse colliquationem insignẽ, & principium tabis: nam calor deuenit ad talem gradũ, ut colliquet adipem, & pòst colliquabit etiam partes solidiores, & fiet tabes: sic autem semper hoc est malum signum, & summopere cauendum est in his, qui patiuntur talem colliquationem, & talem urinam excernunt. Tertium genus corona dicitur: Est autem corona hæc circulus quidam, tanquam linea quædã diuersicolor diducta ad circumferentiam: neq; enim in omnibus sic apparet: uidetur enim circulus urinam ambiens, & secundum diuersitatem huius diuersa adferuntur iudicia. In hac corona primò eius substantia consideranda est, neque similis est spumæ, quoniam spuma flatu plena est, hæc uerò nullum in se cõtinet flatum, seu spiritum inclusum, & ideo non est ampullosa, neque pinguis, ut sunt reliquæ duæ species: non apparet adeps, sed quoddam est separatum, hoc sciendum est primò. Nam substantia faciens huiusmodi coronam, est humidum existens in solidis, q; uel est substantificum, uel nutrimentale, & tale humidum colliquatur à calore igneo, & est omninò præter naturã. Dico ex toto genere, quia materia facit pro sustentatione humanæ uitæ & nutritione corporis, habet enim causam præternaturalem, cùm

apparet huiusmodi: aut non est sicut pinguedo, tamen approximatur & aßimilatur illi. Nam sublimatio fit: & in concoctione uera fit sublimatio à calido & humido, huius pars illa quæ dulcior est, aßimilatur ipsi corpori, reliquū uerò excernitur tanquam excrementum: ista pinguedo proximè accedit ad alimentum, nam similis est substantiæ nutrimentali, ita ut in gradu tantum differant. Hæc uolui dixisse propter ea, quæ dicturi sumus in sequentibus. Talis ergo pinguedo est pars humidior atque uiscosior & pinguior, quàm conueniat pro nutritione, tamen proximè ipsi accedit. Cum igitur talis sit corona, nil aliud erit, nisi substantia aliquantulum crassa & uiscida, & in se continens aliquam leuitatem, propter illam naturam accedentem ad pinguedinem, & hoc sæpe uidimus in iuribus carnium & pullorum. Qui cupiunt differentias istas cognoscere, inspiciant decocta pullorum, quia ibi euidentißimè circa uas apparet corona ista, quæ non facit pinguedinem nec oculos ut uideantur oculi boum, isti apparent intus: sed talis corona est circumambiens, & cùm sit humidum substantificum, quod extractum est ex concoctione, non apparet illa pinguedo, quæ est in alijs tota, nec ulla uiscidit as, sed quoddā mediocre: hæc est substātia illius coronæ, & hoc sit dictum, ut firmiorem habeatis doctrinam. Cùm igitur talis sit substantia, sequitur, q̃ necessariò etiam talis sit locus. s. circumferentia, non autem in extima superficie, neq; etiam in fundo. Sed diceret quis non uideo causas? Respondeo, ex Arist. 3. & 4. Cœli, q̃ omne corpus graue uel leue tantum habet de loco, quantum

Corona qd.

tum

tum habet de forma, & media loca probabiliter sint formæ illius occupantis locum. Cùm ergo corona sit media.i. mediam habeat formam inter penitus grauia urinæ, & inter leuia, non occupat supremam superficiem, nam grauior est, q̃ competat illi parti occupandæ, licet similis sit pinguedini non tamen est, neq; etiã occupat infimam partem, quia non est tam grauis, ut poßit descendere, igitur medium occupat locum, inter loca spumæ & hypostasis. Quòd autem circulus iste sit medius, & humilior & depreßior sit, q̃ superficies, apparet ex communi cognitione, quæ habetur ex humido aquoso. Nam elemẽtum ipsius aquæ rotundum est, & quale est totum elementum, talis etiam est eius pars, ut probatũ est à Philosopho, ista sunt supponenda. Cùm igitur tale sit elementum, necesse est etiam, ut superficies sit rotunda, habeatq; in se conuexitatem, hoc sequitur: quia ubi est aliqua forma rotunda circuli deducti, quanto magis accedunt ad profundum & centrum, eò magis sunt depreßiores, & quanto largiores, tanto sunt pauciores, & quanto magis accedunt ad superficiem, tanto magis erunt sublimiores, & non desinent donec perueniant ad superficiem, quæ cum sit rotũda & ampla, circulus erit longè depreßior, q̃ sint circuli pauciores, & talis superficies occupatur à spuma: & quoniam ista corona & materia eius non habent locũ spumæ, nec grauitatem tantum, ut occupent locum hypostasis, necesse igitur est, ut mediũ habeant locũ inter hypostasim & spumam. Iam igitur dictum est de huiusmodi contento, quæ sit substantia & quis locus, & quæ nã sit causa efficiens. Di

ximus autem, esse calorem igneum colliquantem humidum substantificũ, quod erat pro nutritione corporis, & istud apparet, in febribus colliquatiuis & hecticis, ubi est ultima tabes, tunc apparet talis corona, quoniam nunc consumpta est humiditas substantifica, & si qua sit, est admodum pauca: & sic de futuro ponderare oportet, hoc corpus ad tabem deuenire, et negotium erit prohibere, si possibile est, & sic habemus causam efficientem, locum & iudicium. Sed quoniam talis circulus contingit esse magnus & paruus, latusq; &c. ideo ex uaria forma uaria adferuntur iudicia. Præterea si bonum uel malum habent odorem, si erit latus et profundus, tunc iudicabimus magnam colliquationem, si paruus, paruam colliquationem: & tum debemus etiam uti distinctione uaria. Si erit in principio, & corpus sit carnosum satis, tunc corona apparebit magna, quia adest etiã materia maxima, & agens conueniẽs. Si uerò corpus fuerit consumptum & iam tabidum sit, materia tamen pauca adest. Si corona subnigrans apparebit, iudicabimus calorem illum assari, si uiridis, aduri, sed non multum: quo ad odorem, si aderit putredo: & hæc ad iudicium coronæ, dum simplex est. Sed notandum est, q̃ talis corona sæpè appareat cum spuma, & quando uidemus talem spumam admixtam, non statim determinabimus de bono & malo, sed quærenda sunt alia signa: nam si habeat coronam, in calore, odore, substantia, & contentis erit laudabilis. Prætereà si bonam tolerantiam ægri, uideamus et aliqua signa attestantia, non multam malignitatem ægritudinis, tunc spuma deficit, & facit iudicium, q̃ calor naturalis

ralis aliquid agat in materiam, ita ut ueluti ipsam imprægnet & inflet, & admisceatur aliqua concoctio, & materia commota admisceatur colliquationi. Si autem spuma admisceatur cum signis deterrimis, & urina fuerit pauca nigra, & sedimenta erunt nigra, & reliqua signa mala, tunc iudicatur, quod calor igneus auctus est in malitia, sed diminutus in quantitate, & calor naturalis est ualde diminutus. Hæc etiam spuma perfectam ostendit malitiam, quia calor igneus fundatur in naturali, & cùm sit diminutus, & non poßit se adiuuare, & ille igneus cùm fortis sit agens in humidum radicale, cùm potens sit, ut adustionem faciat, causat illas ampullas, ut solet facere calor debilis: & cùm spumæ ueniunt nigræ & uirulentæ, tum planè est desperata ægritudo: nam signum est, quod calor naturalis est prope extinctionem: & sic habemus sufficientem notitiam de omnibus contentis apparentibus in superficie, seu in parte superiori. His prætermißis deueniamus ad contenta, quæ sunt in corpore ipsius urinæ, ita ut tamē non deueniant ad superficiem, & sunt nebulæ. Secundum genus quod permanet in medio, à Græcis œneorema, à Latinis uerò suspensa. Tertium genus est hypostasis, seu sedimentum, quod manet in inferiore parte, seu in fundo: & de istis tribus ut firmam habeamus doctrinam, procedendum est per uiam causæ, & ad eius elementorum cognitionem: & primò scire oportet, quod ista contenta uniuersalem suscipiunt diuisionem, quædam sunt secundum naturam, quædam uerò præter naturam, de utrisq; quærendum est: appello ergo contenta naturalia illa, quæ aliquo

modo intenduntur à natura:nam cùm ſit excrementa,ſimpliciter non intenduntur à natura: & cùm dicimus aliqua ſecundum naturam,intelligimus, cùm natura ſublimat humidum internum,non poteſt eſſe, quin fiat excrementum: quia illa quæ ſublimantur,non poſſunt eſſe omninò ſimilia,ideo oportet,ut fiat ſeparatio ſimilis à diſsimili: & diſſimile illud quod expellitur,eſt excrementum, & conſequutiuè intenditur à natura:quoniam eſſe non poteſt propter dicta,quin adſint excrementa,& quotieſcunq; concoctio erit naturalis.ſublimatio erit à calore naturali,& excrementa erunt naturalia,nec aduſta,quia principale humidum non erit aduſtum:ideo habebunt formam proportionatam excrementa,& dicuntur naturalia,quia conſequutiuè intenduntur à natura:quum nutrimentũ non fuerit rectè concoctum à natura,neq; ſublimatum,neceſſe eſt etiam,ut excrementa deficiãt à naturali metro,aut ut ſint cruda aut pauca,ſi à calore fuerint aſſata,aut deficiant in aliqua alia conditione requiſita ad naturalem ſtatum , & hæc eſt prima diuiſio contentorum. Igitur naturaliũ quædam ſunt perfectè naturalia,& quædam imperfectè,ſiue quædam attigerunt ultimum ornatum , & quædam non, & inter iſta duo eſt latitudo. Vt igitur excrementum ſit tale,& mereatur ſimpliciter dici tale, non declinabitur à ſcopo,nec conditiones illi deerunt. Conditiones autem requiſitæ ſunt iſtæ,primò q, mediocre ſit in ſubſtantia , ſecundò in quantitate:tertiò in qualitate : quartò q, excrementum ſit in debita hora:quintò in ordine : ſextò & ultimò per loca conuenientia: & quanto magis deficient

iſtæ,

istæ, tanto magis deficiet à scopo. Contentum igitur perfectum in corpore urinæ id est, ut perfectum sit, oportet ut habeat primò bonam substantiam, colorem, quantitatem, odorem, & locum naturalem: & ubi tale contentum fuerit, & habuerit omnes istas perfectiones, erit simpliciter tale. Substantia igitur debita in tali contento habebit istas perfectiones. Primò ipsa substantia erit leuis, secundò æqualis: & ubi sic sit, habebit debitas conditiones substantiæ: leuis enim est illa, quæ ita tactui occurrit, ut tangenti nullam resistentiam faciat, nec cedat tactui, & in hoc differt à molli, ut declaratum est ab Arist. primo De generat. & quarto Meteorum, & ideo oportet, ut ista substantia sit leuis & æqualis etiam: quia non oportet, ut in una parte sit leuis, in altera aspera, præterea in una parte æqualis, in alia inæqualis, sed oportet, ut in toto sit æqualitas & leuitas, & tunc illa substantia erit bona. Namq; oportet ut tale contentum talem habeat æqualitatem, & manifestam. Ostendimus enim omnem sublimationem utilem fieri per concoctionem, & elixationem factam à calore naturali, & ubi calor commodè concoquit, non adurit, sed æqualiter elixat, & concoquit, ut apparet in cõcoctionibus extrinsecis: & cùm concoctio sit æqualis, illud etiam quod concoquitur, erit æquale, & per cõsequens excrementa erunt æqualia. Nam ponas tu, q; non sint æqualia, tunc non erit bona concoctio: quoniam si erit perfecta concoctio, excrementa erunt æqualiter concocta, & sic erunt æqualia & leuia: quoniam nullam relinquit partem uel adustã uel inconcoctam, cùm sit æqualis concoctio. Se-

cunda conditio est, ut sit indebita quantitate, & illa erit, quæ proportionatur excremento humidi concocti: & si erit plurimum humidum concoctum, plurima etiam erunt contenta, sin minus, minora etiam erunt contenta, & sic erit secunda conditio, quòd quantitas proportionabitur materiæ concoctæ. Corpus autem exactißimè sanum non habet contenta, præsertim si recta utatur uictus ratione, non delinquet in sex rebus non naturalibus, quoniam in uenis sanguis excoquitur, & si quid erit excrementi, disflabitur per cutis meatus: & uidemus etiam, quòd illi qui exercentur plurimo exercitio, non habent ullum istorum contentorum, propter maximam difflationem: & sic si humidum fuerit plurimum uel paucum, talis erit urina, taliaq; erunt contenta. Tertia conditio est qualitas seu color, & quantum ad hanc conditionem, color urinæ istius corporis exquisitißimè seu simpliciter sani debet esse albus, & non alterius coloris. Nam in corpore nostro plurimæ fiunt concoctiones, & prima imperfectior est secunda, & secunda tertia, ut optimè uident alchimici: ubi distillauerint aliquid, semper albius & perfectius redditur. Id etiam contingit in excrementis, ideo excrementa sunt etiam adeò terrestria in prima concoctione, & diuersos sortiuntur colores propter diuersitatem materiæ. In secunda adhuc terrea sunt: in tertia autē nihil amplius terrestritatis habetur, quoniam illa perfectißima est, siue fiat in uenis, siue extra uenas, tunc id quod aßimilari debet, redditur album, ut diximus aliàs. Omnia membra nostri corporis sunt alba præter uueā oculi, et si rubea sunt,

non

non ita sunt ex se, sed tinguntur à sanguine: & cùm tale nutrimentum debeat aduenire membris, oportet quòd fiat album: cùm autem talis materia erit perfectè sublimata, suum excrementum erit album, quoniam debet assimilari illi, cuius est excrementum. Præterea non debet esse fœtidum, nam quòd fœtet, significat putredinem, & ubi non est putredo, ibi non est fœtor: ubi autem fuerit concoctio bona & secundum naturam, erunt etiam excrementa bona & secundum naturam, nec ulla aderit putredo, neque fœtor in huiusmodi excrementis. Igitur tale contentum in urina meritò carebit fœtore: neque enim putruit, quod à calore naturali perfectè concoctum sublimatumq; est. Alia conditio, quæ necessariò requiritur ad contenta perfectè naturalia, ipsa figura est. Debet autem figura huius contenti pyramidalis esse, quæ circa basim lata quidem est, sed paulatim in acutum uergit usque ad summitatem. Causa huius figuræ in tali contento est perfecta concoctio terrei & solidi excrementi in tertia concoctione. Spiritus enim moderatè inclusus in tali excremento eleuatur prout est natura illius eleuati, secum trahens materiam uel partem materiæ, magis leuem & uaporosam, & magis aptam ad hoc, ut eleuetur: & quia spiritus ille tēperatus est, non excedens in actione propria, ideo non diuellit, neque separat partem à parte, sicut fit in contentis præter naturam, sed ita moderatè agit in partibus huius contenti, ut singulæ istorum proprium occupent locum, prout magis uel minus terrestres uel aereæ sunt: ergo quod grauissimum est, in fundo re-

 sidet,

ſidet, latum non eleuatur, quod minus latum eleuatur: & quanto magis eleuatur, tanto magis acuitur: cùm natura uaporis ſit, ut in acutum tendat, ſicut etiam apparet in flamma, quæ uapor ignitus eſt. Locus autem eiuſdem contenti eſt, quantum attinet ad propriam baſim, ut fundum uaſis obtineat: & ratio eſt, ut diximus, excrementum illud, ex quo tale contentum redditur, ſolidum ac terreſtre eſt, ideo meritò in liquore urinæ poſitum partem imam petit ſi modò naturali loco inſideat. Iſtæ igitur omnes conditiones neceſſariò requiruntur ad hoc, ut contentum in urina ſit perfectè naturale, quas repetentes dicimus eſſe, ut contenta ſint ſubſtantia leuia, & æqualia quantitate pro excrementi concocti ratione, colore alba, odore minimè fœtido, figura pyramidali, loco, ut baſis ipſorum fundum occupet uaſis urinarij: quarum conditionum ſi una tantum deerit, iam amplius non erit contentum illud perfectè naturale: quòd ſi duæ deerũt, uel tres, adhuc magis à perfectione recedit. Quòd ſi omnes prorſus deerunt, ita etiam prorſus extra naturæ limites excedent talia excrementa: & ita patent, quæ ſint contenta merè & perfectè naturalia, & quæ item contenta naturalia quidem, ſed non perfectè, immò ſecundum quid, & quæ in iſta imperfectione magis ac magis ſint imperfecta & diminuta. Nam quæ perfectè ſunt naturalia, iam docuimus non habere latitudinem, ſed eſſe in ultimo gradu: illud enim perfectum dicitur cui nihil deeſt. Raró igitur talia contenta uidebimus, ſed potius ponuntur tanquam regula, ſicut etiam poni ſolet corpus

pus

pus perfectißimè sanum, quod dicitur regula polycletica. Vbi autem tale contentum uidetur, indicat concoctionem excrementorum factam fuisse exactißimam in uenis, & consequenter morbi solutionem perfectam iam adesse: neque unquam fieri potest, ut tale contentum appareat sine colore optimo urinæ, sine substantia optima, liquore, quantitate, & cæteris conditionibus. Si enim calor naturalis potuit concoquere perfectè solidum excrementum, & ornatum afferre partibus terrestribus et magis rebellibus concoctioni, longè facilius potuit in colore, substantia, & liquore idem efficere. Meritò igitur Hippocrates in secundo libro Prognosticorum, ubi de urinis indicantibus solutionem morbi pertractat, quæ ab ipso, optimè, appellantur, quoniam optimum statum ægri demonstrant: est autem optimus status ægri, quando liberatus est à morbo, quo afflictabatur. meritò inquam quadam mira doctrina & breuitate exorsus diuinus Hippocrates: urina optima (inquit) est illa, in qua est hypostasis alba, leuis, æqualis, &c. quæ sequuntur, includit mira, sicut diximus, breuitate & doctrina, omnes prorsus conditiones in tam paucis uerbis urinæ optimæ. Cùm enim conditiones optimæ hypostasis posuerit, intellexit ea, quæ necessariò sequuntur, uidelicet, hic quoque adesse optimum colorem, substantiam, & liquorem: iste enim est mos non Hippocratis tantum, sed omnium antiquorum, ut doctrinam de re aliqua facturi, unum proponant, quo proposito, quæcunque necessariò consequuntur ad illud, omnia illa taceant ac præte-

tereunt, uoluntq; ut lectores ſagaciſsimo ſtudio perquirant, quid ad illam propoſitionem conſequatur. Vnum quoque addidit Hippocrates in ea ſententia, quod à nobis præteriri non debet, uidelicet quòd ea urina erit optima, cum his conditionibus ſuprà memoratis, ſi perſeuerabit talis, & non una tantum uice mingatur: & hoc erit ſemper obſeruandum, ut nullum bonum ſignum apparens in urina, ſtatim pronunciemus eſſe bonum, niſi perſeueret: ſæpiſsimè enim decipimur & in ipſo opere uidemus, quadam die repente plurima ſigna bona apparere in urina, & ſequenti die poſteà peſsima. Vnde de bono non eſt aliquid pronunciandum, niſi tale perſeuerauerit: quandoque enim contingit, ut calor naturalis partem aliquam materiæ magis paratam concoquat, & interim urinæ redduntur bonæ, quoniam & tunc concoctio eſt bona: ſed reliquæ poſtea materiæ in uenis contentæ, malignæ & rebelles, non poterunt concoqui, immò potius ſuffocabunt innatum calorem, & ita aliæ ſubſequentes urinæ, peſsimæ & deteſtabiles apparebunt: Et ſi Medicus temerè pronunciauerit uiſa urina bona, morbum citò eſſe ſoluendum, cogetur poſtea cum pudore & deriſione audientũ, contrarium proferre, et fateri ſe fuiſſe deceptũ, uel confugere ad frigidas excuſationes deceptorum. Contentorum autem præter naturalia, quæ diximus ſuprà ea eſſe, quæ non intenduntur à natura, neque per ſe, neque conſequutiuè, ſed ita excernuntur, ut excedant uel deficiant in conditionibus illis omnibus, quas diximus contentis naturalibus eſſe neceſſarias. Quædam enim ſunt ex toto genere

nere præter naturam, quædam non ex toto genere, ſed per aliquem exceſſum uel defectum. De his primò loquemur, quæ uidelicet non ſunt ex toto genere præter naturam. Appellamus ex toto genere præter naturam illud, quod in propria ſubſtantia & ſpecie excedit limites naturales, ut ſi quando mulier pareret illam, quam molam appellant, uel fruſtum carnis incompoſitæ: talia enim in tota ſpecie & ſubſtantia differunt à partu naturali. Sed ſi mulier pareret infantem, uel cum quatuor manibus, uel hermophroditum, uel cum aliquo tali exceſſu uel defectu, ut ſine oculis uel manibus, eſſet quidem partus, & iſte præter naturam, ſed non ex toto genere, in ſubſtantia enim & ſpecie naturalis eſt, ſed peccat in exceſſu & defectu: quæ igitur deficit uel excedit, ea dicitur præter naturam. Simili igitur modo contenta ex toto genere præter naturam in urinis ſunt, quæ in ſubſtantia et ſpecie excedunt limites naturales: ut quando aliquis mingit uel carnem, uel pus, uel ſquamas, arenas, calculos, & huiuſmodi: iſta enim in propria ſubſtantia & ſpecie excedunt limites naturæ urinarum. Cùm uerò mingitur craſſum aliquod excrementum, quod deciditur & ſeparatur in tertia con coctione, quæ fit uel in uenis, uel in cauitate membrorũ: iſtud excrementum deficit uel excedit in ornatu ſuo natu rali, neque adeptum eſt debitam concoctionem, ideo appel latur præter naturam, eò quòd deficit uel excedit, ſed nõ in ſubſtantia & ſpecie. Poſito igitur hoc diſtincto conceptu de duplici differentia contentorum præter naturam, dicimus, contentorum præter naturam non ex toto gene-

re quædam talia esse, quia defecerunt in concoctione, quædam, quia excesserunt, & fuerunt super assata: quæ deficiunt uel apparent sub forma proprij & determinati alicuius humoris, ut quando excernitur in urina, uel materia pituitosa residens in fundo, uel sanguis non benè separatus, uel in uenis uel in renibus: sicut sæpè contingit, quando aliquis mingit urinam similem loturæ carnis, ista enim omnia indicant naturam deficere in concoctione & separatione utilis ab inutili: ideo ubicunque talia uidebimus in urina, indicabitur (nisi uitium renum fuerit) calorem naturalem debiliter operari in uenis, & tertia concoctione. Si uerò hoc fuerit uitio renum uel uesicæ propter aliquam imbecillitatem in ipsis, uel propter ulcus, uel uitium in compositione, distinguemus cautè & prudenter per propria signa, quæ apparent in his casibus, sicut est dolor, uel pondus, uel tumor, uel difficultas in mingendo, uel aliqua talia, quorum aliqua semper inueniuntur in similibus affectibus uesicæ uel renum, uel uasis ad ea membra attingentibus. Quandoque autem talia contenta non per defectum, sed per excessum efficiuntur præter naturam, quando apparet in urina pituita concreta adusta, uel sanguis adustus, & sedimentum etiam, uel hypostasis, quæ & ipsa fuerit adusta tendens ad nigredinem, uel luteum colorem, uel uiridem, quæ omnia attestantur calorem igneum esse in uenis, adurentem & reddentem illa excrementa præter naturam, propter excessum caloris non concoquentis per elixationem, sed adurentis per assationem, ut suprà ostendimus. Talia igitur omnia ex=

excrementa dicuntur præternaturalia, non ex toto genere, sed per excessum uel defectum: excrementa autem ex toto genere præter naturam semper indicant calorem igneum, adurentem, colliquantem, uel solutionem continui esse, uel in partibus renum uel uesicæ, & utrum sint istæ dispositiones in renibus & uesica, an uerò in ipsis uenis, distinguemus per eadem illa signa, quæ paulò suprà commemorauimus. Hoc enim perpetuò est obseruandum, nullum genus uel speciem signorum posse nos in perfectā cognitionem morborum occultorum deducere, nisi & alia quoque genera & species signorum cognoscamus, & singula singulis comparemus. Ex hoc enim concursu, & sagaci comparatione signorum nihil prudenti Medico occultatur, uel de præsenti uel de futuro, immò etiam de præterito, ut experientia deprehendet, quicunque in hac arte per hanc methodum & rationem se diligenter exercuerit. Diximus omnia hæc contenta, quæ sunt ex toto genere præter naturam, semper indicare nobis, uel calorem igneum adurentem & colliquantem, uel putrefacientem, aut solutionem continui in aliquo membro, etiam calorem adurentem uel assantem indicant arenulæ, & calculi in urina apparentes: ex calore enim igneo adurente generantur talia excrementa, & non tantum indicatur calor igneus ex istis arenulis & calculis, sed etiam locus affectus, inde enim apparet affectus renum, in quibus tales materiæ per igneum calorem excoquuntur. Calorem uerò colliquantem indicant contenta illa, quæ dicuntur orobacea, idest similia orobis confra=

ctis,

ctis, quæ ſunt colore ſubnigro, quandoque maiora, quandoque minora, ſecundum maiorem uim uel minorem colliquantis caloris, & prout materia colliquata, & corpus fuerit magis uel minus ſolidum & craſſum: et facile eſt, ut iſta diſcernantur, quæ etiam frequentiſsimè uiſuntur in febribus acutis colliquatiuis, ubi iam colliquatio & uis caloris non ad pinguedinem tantum, ſed ad ſolida penetrauerit. Peſsimum igitur indicium eſt, ubi talia contenta apparuerint in corpore imbecillo, uel propter ætatem, uel morbum, ſemper enim mors ſubſequetur. In ualidiore autem corpore periculoſa, & non niſi cum magno labore & induſtria diſſolubilis ægritudo pronunciatur, ac longè pernicioſior erit indicatio horum contentorum, ſi acceſſerit quoque ſubſtantia, color, liquor, quantitas, odor urinæ peſsimus, quæ omnia ſemper ſunt à uobis inuicem conferenda: inde enim emerget recta menſura cognoſcendi malitiam, uel bonitatem urinarũ. Vnum prætermieram circa ſigna in contentis indicantia calorem adurentem, uidelicet ſi quando apparuerint in urina aliqua, quæ aſsimilantur pilis uel capillis (ſicut ſæpiſsimè apparet) indicant ita apparentes pili calorem adurentem præcipuè eſſe in uaſis urinarijs, in quibus materia craſsior fœculentiorq; aduritur, & formam accipit capillorum, pro longitudine & anguſtia uenarum, in quibus aduritur. Si uerò apparuerint furfures uel ſquamæ in ipſa urina, indicatur calor colliquans, & abſtergens intimam ſuperficiem ueſicæ, unde ſquamulæ & tanquam furfures deciduntur, & hæc de ſignis in urina contentis, indicantibus

ca-

Calor adurens
colliquans
putrefaciens.

calorem adurentem & colliquantem. Calorem autem putrefacientem indicat pus excretum: discernendus autẽ erit locus, unde tale pus deciditur, per signa distinguentia illius loci affecti, iam sæpe à nobis commemorata: & ita manifestum est sub quot formis apparere possunt in urina contenta, quæ sunt ex toto genere præter naturam, & q calor adurens uel colliquans uel putrefaciens sit causa singulorum. Si uerò tale contentum propter tale ulcus excernatur, apparet frequentissimè in urina manifestè substantia illius membri, in quo est ulcus, quæ deciditur per solutionem continui, & hoc frequentissimè apparet in ulceribus renum, in quibus carunculæ paruæ, fœtidæ apparent in urinis, quæ facilè discernuntur ab illis contentis orobacei suprà memoratis, quoniam si remouebimus illos à liquore urinæ, & fricabimus manu uel instrumento, si erunt orobacea illa contenta, dissoluentur facilè, tanquam res colliquatæ, sed si caro renum fuerit, uel substantia mẽbri, non per colliquationem, sed per solutionem contiuui decidua, solida fricanti, & prementi apparebit, neque ita facilè cedet: & hæc satis, quantum compendio licuit de cõtentis urinarum præter naturam. Nunc modò uidendum de locis principio à nobis propositis, cur scilicet ista contenta præter naturalia habeant quadruplicem locum: uel enim resident in fundo, uel apparent in medio, uel prope superficiem, uel indifferenter tanquam circumuolitãt, & uagantur infrà supraq; per totam urinæ substantiam. Circa quod unum præsciendum est, locum omnium horũ contentorum, quæ dicuntur contenta ex toto genere præ

ter naturam, esse infimam partem uasis urinarij, & ratio est: quoniam omnia illa contenta, ut uisum est, sunt terrestris substantiæ, assata uel colliquata, uel putrefacta, quæ omnia producuntur à calore igneo, & ideo quantum est in propria sui natura, tendunt ad infimam partem, & semper ibi resident, nisi aliquid exterius contingat, quod aliquo modo materiam subleuet: quod autem subleuare potest talem materiam, non potest esse nisi uapor, qui uapor natura duplex est, ut Philosophus inquit 1. & 2. Meteor. Quidam enim uapor calidus est & siccus, igneæq; naturæ: quidam calidus & humidus, calidum enim esse semper necesse est, si eleuari debet, & ideo sola elementa calida in sublimi pendent, reliqua duo frigida circa centrum feruntur. Horum autem uaporum, quos genere duplices esse diximus, plures sunt species uel gradus, prout magis uel minus intenditur humiditas uel siccitas, uel acuitur ipsa caliditas: unde etiam uidemus hos uapores in uniuerso uaria loca occupare, uarias conuersiones uariasq; formas suscipere, pro gradu scilicet caliditatis, uel siccitatis, uel humiditatis existentium in illis uaporibus: quæ omnia si rectè perspexerimus, recteq; præcognouerimus, non erit posteà difficile, quod est in uniuersali, uerum, in particulari quoque recognoscere: quotiescunque igitur in istis contentis præter naturam, quæ diximus esse terrestris substantiæ, & naturaliter in imo fundo uasis residere, si in illis inuenietur aliqua pars uaporabilis, quæ à calore igneo eleuatur, uarios effectus producet, prout uaria materia illorum uaporum fuerit. Vbi igitur plurimus calor igneus le=

leuiorq́; materia, magisq́; uaporabilis, inflammabitur uiolenter materia à ſpiritu igneo, qui ſpiritus cùm inæqualiter uiolenterq́; agat, ſubintretq́; totam materiam, diuellet eam multiformiter, & in minimas partes ſecabit, quæ partes agitatæ à ſpiritu uaporoſo diſsiliunt, diuelluntur, agitantur, neque certum occupant locum, quoniam temerè agitantur ab igneo uaporoſoq́; ſpiritu: & ideo in tota ſubſtantia urinæ uidentur minutulæ partes, tanquam atomi quidam materiæ aduſtæ circum curſitantes, & multiformiter uerſatiles prout ab eo ſpiritu agitantur. Ideo uidemus tales urinas, ubi nuperrimæ fuerint eductæ, ſeruantes adhuc calorem corporis, maximè habere huiuſmodi contenta circum agitata & circumuerſata: ſed poſteà ubi magis ac magis refrixerit, euaneſcente calore, & ſpiritu flatuoſo, qui ipſas materias agitabat, ſenſim reſidere, & proprium locum fundi occupare, ſcilicet, quoniam euanuit cauſa ſubleuans & agitans: & obiter uidemus etiam perturbari tales urinas & omnem admiſtionem ſubtiliorum partium illorum contentorum, quæ in liquore urinæ diluuntur. Ergo ubi tales urinas cum huiuſmodi contentis circumagentibus conſpexerimus, indicabitur intra uenas maximam pugnam inter calorem, & materiam, adhuc tamen non eſſe uictoriam caloris naturalis, ſed caloris ignei diſsipantis & diuellentis: prognoſticum ergo futuri euentus in tam ancipiti pugna ſub metu, à conſtantia, uirtute, ab ætate, temperatura, obedientia infirmi, & reliquis huiuſmodi ſumitur. Quibus rectè & prudenter conſideratis, facilè perpendet Medi-

cus,ad quas partes,morbi ne an ægri, declinatura ſit uiſtoria. Hæc de contentis præter naturam dicta ſint, nullum certum locum occupantibus & circumuagantibus, & de cauſis & indicijs eorum,ubi etiam obiter facta eſt mentio de contentis,quæ infimum occupant locum, & de cauſa ipſornm. Reliquum modò eſt, cognoſcere cauſas & iudicia contentorum,quæ medium,ſupremumq́; locum occupant,facileq́; eſt iſtud cognoſcere quoque, ex ijs quæ paulò ſuprà ſunt declarata: & ex cognitione naturæ uaporum. Si enim uapores ignei ſicciq́; fuerint,trahent ſecũ contenta illa, alioqui parua & fruſtulatim conciſa ad partes ſupremas illius urinæ, & ita prope ſuperficiem apparebit contentum illud,quod nebula appellatur, & ſecundum naturam & ſpeciem illorum contentorum, & multitudinem caloris uariæ formæ & ſpecies eorum contentorum apparent: quædam enim aſsimilantur fumo nigreſcenti,uel ſubrubro,aut luteo: quædam nebulæ candicanti: quædam aſsimilantur granulis diuulſis, & non continuatis, occupantibus illam partem. Vbicunque igitur uiderimus circa illam ſuperficiem urinæ quoddam, quod nebulæ aſsimilatur,indicium eſt, materiam eſſe pituitoſam, quæ à ualido calore concoquente penetratur, tumefit, & eleuatur, & ideo quantum in ſe ipſo eſt, ſignum hoc eſt laudabile,inde enim indicatur naturam ualidè aggreſſam eſſe concoctionem: & inde eſt illud, quòd omnes etiam moderni aduerterunt, hypoſtaſim illam naturalem, de qua ſuprà locuti ſumus, ſi progreditur ordine proprio prius apparere circa ſuperficiem urinæ eleuatam

uatam, deinde circa medium, ultimò circa fundum, quemadmodum diximus, & hoc admodum congruè, & secundum rationem. Est enim uerus naturæ ordo atque progressus, proficisci ab imperfecto & rudi ad perfectum: dum igitur incipit concoctionem, tumefacit materiam obedientem, & ita excrementum eius apparet in superficie urinæ eleuatum à spiritu calido admodum potenti. Rarò igitur tale contentum apparens indicat aliud quàm bonũ & salutem futuram: sed si alterius fuerit coloris, ut nigri, rubri, aut lutei, indicatur quidem materia uiscosa, sed uel adusta, uel biliosa, & dominium caloris ignei inordinati, tumefacientis & eleuantis materiam crudam: ideo ubi tale cõtentum uidebimus, indicabitur nobis, si morbus fuerit acutus, longitudo difficultasq; ægritudinis: sed longè deterius est, ubi uiderimus ea contenta circa superficiem tanquam granula diuulsa, præcipuè si nigricantia fuerint, indicatur enim aduri materiam, & colliquari solidam, deinde inflari uiolenter, et eleuari ab igneo febriliq; calore: unde hoc signum febres malignas, adurentesq; & uim naturæ peruincentes ostendit. Et hæc satis de contentis occupantibus locum prope superficiem urinæ, quæ communi nomine nebulæ appellantur. Circa quod unum sciendum ad perfectiorem notitiam quandoque contingere hæc, quæ simpliciter protulimus commisceri, ita ut appareat illa nebula simul in aliqua parte alba, in aliqua nigra aut alterius coloris, item in alia tenuis, in alia crassa, & alibi diuulsa, alibi continua, & ista miscella indicat admistionem adesse plurimorũ uariorumq;

humorũ, qui inæqualiter aduruntur, uel concoquuntur à calore, & hoc facilè est cognoscere, non in his tantum contentis, sed in reliquis quoque omnibus, ubi simplices naturas singulorum rectè perceperitis. De contentis autẽ, quæ medium occupant locum, & quæ uulgò à Medicis eneoremata uocantur, breuißima erit tractatio. Quoniã quicquid dictum est de nebulis, idem omninò dicendum est, & iudicandum de eneorematibus: prorsus enim in nullo alio differunt, nisi ratione spiritus subleuantis: prout enim spiritus potentior est, uel quia feruentior, uel quia quantitate maior, uel prout habet opposita, ita illa contenta magis uel minus ascendunt: omninò enim causam sui ascensus & eleuationis ostendimus esse ipsum spiritum, uel uaporem eleuantem: de sui enim natura omnia ista contenta, sicut etiam suprà diximus, resident in fundo, cùm sint terrestria, & nullo pacto eleuantur: & propterea consequenter, nihil aliud noui dici potest de causa quarti loci contentorum, quæ occupant fundum uasis, iam enim omnia sunt declarata. Certum est etiam me tacente, quòd tunc residebunt in fundo ista contenta, quando nullo pacto uinci possunt, & sublimari à calore uel uapore eleuante, uel quia plurima sunt, uel quia nimis uiscosa, uel nimis solida, aut adusta, uel propter imbecillitatem caloris eleuantis & sublimantis, quæ omnia à proprijs signis cognoscentur, & distinguentur. Nam & uiscositas materiæ, uel adustio & nigredo, uel etiam multitudo uisu deprehenditur illa contenta intuenti. Imbecillitas autem caloris, & à pulsu, & à reliquis actionibus animalibus et na=

naturalibus facilè dignoſcetur: atque hactenus de cognitione urinarum, quantum per compendium licuit. Vnum reliquum eſt, ut reſpondeamus dubitationi ſuprà à nobis propoſitæ: utrum ſcilicet natura prius operetur in morbis, in ſubſtantia, an in liquore, an in contentis? Apparet enim ſolutio dubitationis ex his, quæ per totum proceſſum huius ſermonis ſunt declarata. Ad memoriam enim oportet reuocare, primò quidem quomodo ſubſtantia urinæ de ſe tenuis eſt, cum ſit aquoſitas ipſius: et quòd color, craßitudo, qualitas liquoris conſequuntur ex concoctione caloris & ſpirituum: & quemadmodum contenta laudabilia fiunt, ubi calor & natura concoquunt excrementa ſolidiora. Deinde uerò quemadmodum natura ſemper progreditur ab imperfecto ad perfectum, quibus omnibus rectè cognitis nemo dubitare poteſt, ſi modò natura ordinatè agat, in qua ſola ordinata actione Medici debent confidere, naturam prius dare urinæ colorem conuenientem, cùm facilius rudiusq; color immutetur, quàm ſubſtantia. Secundò immutatur liquor, & fit ſplendida urina, quod etiam poſt colorem facilius eſt: promptius eſt enim lucido ſpiritu urinam implere, quàm totam ſubſtantiam contemperare. Tertiò ſubſtantia fit temperata inter craßitudinem & tenuitatem. Quartò poſteà, ubi iam perfectior coctio incipit, apparent contenta: ergo ubi contenta prius apparent, quàm color uel liquor uel ſubſtantia laudabilis non oportet confidere, neque enim eſt iſte naturæ progreſſus, ſed alicuius ſymptomatis,

quæ

quæ citò euanescent, unde optimè à uulgo Medicorum
„ illud dictum publicè circumfertur: naturam prius agere in colore, quàm in substantia: hæc igitur breuiter dicta sufficiant.

Spuma [illegible] 39 b.
[illegible]
Spuma alba [illegible] 40 a.
[illegible] 40 a


FINIS.

Color [illegible] 40 b
Magnitudo [illegible] et [illegible] copia 40 b
Pinguedo Vrinæ 40 b [illegible]
Corona Vrinæ 41 a b.

QVÆSTIO IN QVA EXAMINATVR QVOMODO MEDICAMENTVM DICATVR

æquale, aut inæquale, uidelicet, calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum.

IOANNE BAPTISTA MONTANO *Veronenſi, Medico celeberrimo autore.*



OVETVR *dubitatio pulcherrima, & aliarum utilißima in arte Medica. Quæſtio autem ea eſt, quænam ſit medicina æqualis, præterea quæ inæqualis, quomodo ſcilicet medicina calida, frigida, humida, & ſicca ſit intelligenda, declarabimus etiam antiquorũ contrarietates circa materiam hanc, eò quoniam aliter ſentit Auicenna, & Galenus, quem in hoc ſequitur ipſe Auicenna, aliter Auerrois contra Galenum, & Auicennam, tantum modo ſententiam Auerrois in medium afferremus, quia & ſi plerique modernorum inuehantur in Galenum, tamen quoniam eorum ſententiæ abſurdæ ſunt, &*

quidem contemnendæ, eas silentio præteribimus. Verum Auerrois opinio digna est tanto uiro, quo declarato deinceps habebitis, quis nam fuerit error Auerro. contra Galenum, qui quidem initium habuit ex malo uerborum Galeni intellectu, quo reiecto ad alia facillimum erit postea respondere; At à quo auspicabimur, ut scire ualeamus, quæ nam sit, ac quid sit æqualitas in medicina pariter, quæ inæqualitas? (tantum enim intelligimus de uno, quam de alio.) In primis tollenda est æquiuocatio, si ulla adest. Incipiemus ideo, ut et Galenus facit, uidelicet à natura rei; q̃ idem seruat Galenus ipse in tertio de temperaturis.

Primum itaque scire debetis, quòd hoc, quod dicimus temperaturam æqualem esse in re, potest dupliciter intelligi, uel enim dicitur æqualis pro forma substantiali, ac pro temperamento in sequente mixtionem, ut si in aliquo mixto dicamus, quòd sit æqualitas, aut temperamentum, ut forma, ut scilicet habet caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem; siue modo intelligas de æqualitate ponderis, uel iustitiæ: siue sit absoluta, uel cum respectu talis æqualitas, de hoc non curo, modo mixtum tale habeat temperaturam, pro ut sibi conuenit; sic igitur hoc uno modo capitur temperatura æqualis, quæ æqualitas est pro ipsa forma. Hoc autem modo intelligendo æqualitatem, seu inæqualitatem sic de uno, uti de alio intelligimus. hoc inq̃ modo sunt, & accipiuntur in actu, non autem in potentia in ipso mixto. Si modo sunt in actu, ergo qualitates primæ in primo occursu statim imprimunt suum effe

ctum

ctum in ſubiecto, ſicuti ignis, qui ſubito agit, & calefacit ligna apta uri. & hoc, quia in ipſo caliditas eſt in actu. ſic dicendum de æqualitate, uel inæqualitate in mixto. hæ quidem qualitates primo occurſu agunt in ſubiecto, quia tales ſunt actu; unde cum eſt aliqua qualitas, quæ alicui mixto approximatur ut uerbi gratia caliditas, per eam fit alteratio; & ſi illud ſubiectum erit corpus ſenſibile, & ſanum, optime percipiet alterationem illam, quoniam homo cognoſcit exceſſus omnes mixtorum. Nam ſi homo occurrat argento, & ipſum premat. ſtatim ille percipiet argentum eſſe frigidum, quia frigidum eſt reſpectu humanæ temperaturæ: qualitates autem in mixtis ſemper ſunt in actu; ſi uero ille homo tractet aliquod corpus calidius, ut uerbi gratie columbæ, proculdubio percipiet homo caliditatem, & intenſam. ac ueluti ſi febrientem tangeret; (loquor enim de columbo uiuo) manifeſtum igitur eſt, quòd caliditas, uel frigiditas in mixto poſſunt in primo aggreſſu percipi ab homini: intelligendo enim modo iſto æqualitatem, uel inæqualitatem intemperaturis, tunc ſequitur, quòd qui accedet magis ad æqualitatem hanc, ille erit magis perfectus, & maxime temperatus, uti homo eſt, nam homo eſt mixtum proximum æqualitati, & eſt tanquàm omnium menſura, & meta, & inter alia animalia nobiliſſimus eſt homo; pariter è conuerſo, quanto magis mixtum aliquod recedit ab hac temperatura æquali, illud tanto eſt imperfectius, & uti brutum. mixta ergo illa, quæ magis, accedent

cedent ad æqualitatem, ea tanto fient corpori humano pro ximiora, intelligendo de æqualitate, uel inæqualitate, quæ se habet loco formæ: sic enim primo modo æqualitas, uel inæqualitas capitur.

Notandum autem, q; hoc est maxime proprium æqualitati, uel inæqualitati primo modo acceptæ, ut scilicet æqualitas, aut inæqualitas, quæcunque sit ea, diceretur actu in mixto. cuius qualitates agerent primo statim occursu in subiectum, quod attingerent, sunt ergo primæ qualitates actu in mixto, in quo reperiuntur, ac dum mixtum tale approximatur cuipiam obiecto, faciunt impressionem actualem in eo; & bene aduertendum, quoniam in isto discursu habentur summe utilia. Maxime igitur proprium est in ea æqualitate, uel inæqualitate; quàm sæpe docuimus, modo calidum, modo frigidum, (tantum enim intelligimus de opposito uno, uti de altero) maxime dico proprium, ut qualitates primæ eius mixti accedentes alicui obiecto primo occursu in illud actualiter agant, actúq; ipsum alterent; & hic notandum, quòd præter caliditatem, quæ est in homine, in nullo alio mixto, in quo secundum exuberantiam sit caliditas uerbi gratia reperitur huiusmodi caliditas, qualis in homine. nullum igitur mixtum reperitur, quod respectu corporis humani habeat maiorem caliditatem, quàm ipse homo, uel respectu animalium perfectorum, nullam quippe habeant excellentiam; bene respectu sui aliqua sunt calida; sed omnia dicuntur frigida respectu humanæ temperaturæ: sit enim omnis medicina quantum, uis calida, semper tamen frigida erit

re-

reſpectu humani corporis: ſicuti uerbi gratia piper, quod eſt calidum, ſic euphorbium & huiuſmodi ſunt calida in ſe & ualde, reſpectu autem temperaturæ humanæ ſunt frigida; uerum igitur hoc eſt, quòd ſit quæcunque medicina quantum uis calida in ſe, tamen ut habet reſpectum ad corpus humanum, frigida erit, quemadmodum patet experientia, quæ oſtendit, & probat hoc ita eſſe; pariter etiam Galen. in tertio de temperaturis, & quinto de ſimplici medicina, ubi inquit, capiatur unus ſaccus piperis integri, non contuſi; appo naturæ ſupra corpus humanum, nihil propterea calefaciet, immo frigefaciet & illud corpus humanum percipiet piperis frigiditatem; qua de cauſa autem, & quomodo à pipere calefieri poßit, uidebimus infra. Verißimum igitur erit hoc, quòd reſpectu animalium perfectorum, & corporis humani nullum extat ſimplex, uel mixtum, quod habeat maiorem caliditatem illis, immo, ut iam dictum eſt, omne reſpectu perfecti animalis erit frigidum; quippe mixtum omne reſpectu animalium imperfectorum erit calidum, uel ſaltem uidetur tale, ut reſpectu uermis piper erit calidius uermiculo ipſo, & ſi etiam ſummatur piper in puluerem redactus, uel ſal, uel nitrum quæ poſita ſupra uermen, tunc maxime calefacient illum, & contrahetur uermis ille aut morietur; quare autem ita noxium ſit piper uermi, ignoramus; ſat tamen illud ſit, quòd hoc pateat experientia ipſum maxime lædi à tali pipere; ſic ſi ſit compoſitum aliquod quod ſuper ponatur uermiculo, ſtatim peribit ille, aut ſaltem illud aufugiet, ſed cur ita,

Frigidū simplex et mixtū primo occursu frigefacit calidū nō calefacit

nec hoc ſcimus . tantummodo exp:rientia deprehendimus uermen lædi ab eo compoſito; ſed nos nullam rationem, aut cognitionem . ultra ſenſuum cognitionem habemus: quia ſumus medici , & artifices ſenſati. Verſamur e= nim in noſtris ſenſibus, nec aliud quærimus. Habemus ergo hoc,quòd cum approximatur animali perfecto mix tum aliquod,uel ſimplex quantum uis ſit calidum non pro pterea calefaciet tale animal actualiter , bene animal per fectum calefaciet ipſum ; ſed corpus humanum , & ani= mal perfectum , potius percipiet ab eo ſimplici, aut mix= to frigiditatem. Verum ſi homo, uel animal aliquòd per= fectum ſi primo occurſu tangat ſimplex aliquod natura frigidum , quale eſt ferrum , uel aqua naturalis,tunc non percipiet homo caliditatem,ſed frigiditatem ſentiet fer= ri,uel frigiditatem cum humiditate aquæ ; pari etiam mo= do, ſi homo occurrat alicui mixto frigido , percipiet eius frigiditatem . de frigidis enim eadem eſt ratio in ſimpli= cibus , & in compoſitis ; at in ſimplici , & mixto cali= dis non ſic dicendum,quia talia non habent calefacere pri= mo occurſu animal perfectum . alia igitur erit ratio de calidis , & ali a de frigidis reſpectu animalis perfecti. Aduertendum autem diligenter , quia his rectè perce= ptis , facile poſt ſolui poſſunt difficultates omnes , quæ circa materiam hanc moueri poßint ; & ferè omnes in quæſtione hac intricantur . & adeo neceſſaria eſt quæ= ſtio hæc , ut nemo poßit euadere uerus Medicus , nec unquàm cognoſcere medicinarum uires, ni prius be= ne cognouerit , quomodo medicinæ poßint reduci de po=

ten=

tentia ad actum à calore nostro innato. nil quidem sciet ille, hoc ignorato; & sunt admodum pauci, quæ sciant, & si quotidie tractentur ista apud medicos. Æqualitas ergo, & suum oppositum si primo modo capiatur, prout scilicet æqualitas consistit in temperatura, ita q, in temperatura tali non dominetur ulla primarum qualitatum alteri, non caliditas, non frigiditas, non humiditas, & non siccitas; siue capiatur talis temperatura, cum respectu, uel absolute dicta, quomodocunque sit; in ea nullus datur excessus; inæqualitas etiam sumpta à temperatura, & à mixto, in quo est aliqua qualitas primarum dominans alteri; siue sit caliditas, siue sit frigiditas; siue sit siccitas, & siue sit humiditas; quæ inæqualitas, siue in simplici, siue in mixto, cum homini, uel animali perfecto obuiam fit, non percipitur ab eo, immo homo sentit in primo occursu suum oppositum, uidelicet, frigiditatem, nunc loquor de calidis, quæ nullam habent caliditatem respectu corporis humani, nisi in potentia tantum; sed si ista inæqualitas sit à prædominio frigiditatis, hæc, cum homini occurrit, eam percipit homo frigiditatem, si uero ista inæqualitas tàm à prædominio calidi, quàm frigidi occurrat animali imperfecto, ut uermiculo, non statim percipiet, ut dictum est de piperis puluere sparso super eum. Secundo modo capitur æqualitas in mixto non à temperatura sumpta, neque ratione formæ, sed accepta pro facultate aliqua in mixto quopiam, quæ agere poßit, & operari, siue pati, tã æqualiter, q̃ inæqualiter; æqualiter dico, quando æqualiter operatur

inæqualiter, dum habet exceſſum aliquarum primarum qualitatum, & inæqualiter operatur. Nam æqualitas hæc hoc ſecundo modo ſumpta ſe habet oppoſito modo ad æqualitatem primo modo dictam, quoniam proprium eſt huic, quòd nunquàm ſit actu, ſed potentia tantum; prima autem erat ſemper actu; At hæc ſecunda nunquàm primo occurſu aliquem effectum facit, ni antea quid noui adueniat ei, ut ſcilicet ipſa, quæ erat in potentia deducatur ad actum à calore humani corporis; ideo de ſe dicitur æqualitas pro facultate, ſeu potentia, quia non eſt actu & hac ratione opponitur æqualitati primo modo acceptæ, nam modus ſecundus eget cum ſit pura potentia, ꝙ ab aliquo deducatur ad actum, & quidem Galenus recte in tertio de temperaturis dicit, hoc modo intelligendo, ꝙ nunq̃ eſt actu, ſed bene futura in actu: ea propter prius ei conuenit alteratio aliqua, cum ſit facultas tantum & pura potentia quæ quidem, dum alicui obiecto approximatur, deducitur ad actum illud tangendo, ſicuti corpori humano; eo contactu primum fit alteratio per calorem innatum in eam, quæ alterata, inſurgit potentia illa, & à calore naturali noſtro conuertitur ad actum, ut infra melius dicturi ſumus. Nunc autem habeatur, ꝙ æqualitas primo modo accepta dicitur talis in mixto, quòd actu in eo ſit, ſequiturq́; formam ſubſtantialem ipſius mixti; immo eſt ipſamet ſubſtantia, ut ignis propter caliditatem. ignis enim primo occurſu ſic agit, quia talis actu eſt, non propter alterationem aliquam mediantem in eo; ſed de natura ſua ſubito agit. Verum ſecunda æqualitas, ſcilicet ſecundo modo dicta.

dicta. non dicitur actu esse, nec est. quia primo occursu non operatur in obiectum, cum sit potentia tantum, nisi prius deducatur ad actum, per aliquod medicamentum, scilicet per calorem agentem in eam alterando. Alio qui semper erit potentia, nec unquam operabitur. & de ista ita dicendum est, ueluti de gladio, quem incisiuum esse dicimus ex se tamen nunquam interficiet, quia de sui natura semper est in potentia ad interficiendum, nisi per hominem deducatur ad actum. tamen in gladio est dispositio quædam, per quam statim mediante aliquo agente interficiat. Manifesto igitur iam uidetis quonam pacto æqualitas hæc sit in uirtute, & in potentia, uel facultate tantum, ob quam causam dicitur distare à prima æqualitate, quæ in actu est. Ista uero æqualitas secundo modo sumpta non est una, sed multiplex. quoniam in ista æqualitate reperiuntur duo summa fastigia, quæ sunt posita à Galen. quemadmodum patet à principio tertij de temperaturis idem patet per Aristotelem in quinto Met. textu 17. sunt enim duæ æqualitates in potentia prima, uel primo modo dicta est, quando in aliqua re est principium actiuum, productiuum alicuius effectus, sicuti dictum est de gladio ab homine agente approximato alicui, quem uulnerare intendit, tunc gladius habet facere effectum suum incidendo corpus illud, quia in gladio est talis uirtus innata, quòd si deducatur uirtus ea ab agente aliquo ad actum, subito operabitur, si enim facultas incidendi erit in eo, deducta potentia eius ab agente ad actum, tunc incidet. Hæc autem potestas, à qua fit æqualitas, uel inæqualitas,

dicitur habitus in eo, in quo est. qui habitus est duplex, aut naturalis, aut artificialis. si naturalis, ut in animalibus uidemus potentias esse omnium quinque sensuum, scilicet uidendi, odorandi, & aliorum: quæ non semper sunt in actu, sed in potentia nonnunquam: interdum actu: sic in nobis est incidendi potentia. quæ facultates in nobis dicuntur potentiæ actiuæ: quia possunt produci ad actum, & ideo appellantur actuales, non enim agunt mutatione ea, ut paßiuæ: sed tantum facta quadam breui præparatione ab agente. Aut est artificialis habitus iste, ut est grammatica in grammatico, sic musica in ipso musico. Hæ sunt habitus et perfectiones quædam eius, in quo reperiuntur. Potest enim per mutationem factam ab arte, ac per naturam potentia illa deduci ad actum, & sic reponitur habitus artificialis in aliquo. Habitus igitur iste siue naturalis, siue artificialis sit, non habet formam, nec est forma, sed immediate proueniunt hæ facultates, uel potentiæ emanantes à forma ipsa maxime quando naturales sunt, ut scilicet agant, uel non agant; Iste est primus modus dicendi quomodo .s. facultas deduci poßit ad actum, qui actus dicitur à modernis potentia actiua; uel dicitur, & recte, secundum Galenum facultas absoluta, & proprie ita est. Alio uero modo dicitur facultas uel potentia quatenus in aliquo subiecto est uirtus, & præparatio paßiua, quæ si alteretur, de facili immutat subiectum illud ad hoc magis, quàm ad illud ueluti in palea dicimus esse facultatem paßiuam, quòd si apponatur ad ignem, subito accipiet facultas illa formam ignis per conuersionem magis,

quàm

q̃ aliam formam; Est ergo facultas hæc potentia paßiua talis, ratione cuius facile immutatur subiectum, in quo existit ita ut habeat accipere formã unam magis, quàm aliã; & in hoc potentia actiua distat à paßiua, quia actiua agit immediate in obiectum, eo quoniam actu est; paßiua si debet deduci ad actum, opus est, prius per medium aliquod immutans alteretur, deinde ipsa immutet eius subiectum, aut ad hoc, aut ad illud &c. se habet igitur potentia, hæc paßiua, non ut agat sed ut patiatur. Parata enim est ad patiendum, quotiens sit immutans aliquod, uel eam alterans. Recte igitur dicitur paßiua, quia tota dicitur consistere in pati, sicuti actiua tota est parata agere, quũ habeat obiectum, in quod agat; hæc enim secunda potentia est paßiua, qua cognita, habetis, quæ nam sit potentia in mixto, quæ producit, uel æqualitatem, uel inæqualitatem: tam actiue, quàm paßiue. His modo sic uisis, scilicet recte concepta æqualitate, & inæqualitate primo modo dicta: sic æqualitate, & suo contrario, secundo modo sumpta: quæ æqualitas secunda erat duplex, uel cum potentia actiua, uel cum potentia paßiua; pro quæstione nostra; quomodo circa eam progredi debemus? primum erat quæstio quæ nam esset medicina, & an esset æqualis humanæ temperaturæ: postea quomodo diceretur inæqualis, scilicet calida, uel frigida. Pro quo in primis scire debetis, quando dicimus æqualitatem primo modo, semper intelligimus, quòd actu percipiatur qualitas ipsa in mixto ut quòd in homine percipiatur caliditas, & humiditas

actua=

actualiter ſicuti, & in alijs mixtis perfectis. Vtrum modo medicina aliqua poßit eſſe æqualis, ueluti homo eſt æqualis temperaturæ ſanus. Dico, quòd medicina nulla hoc pacto poteſt dici æqualis, quia, ſi ſic eſſet, multa ſequerentur abſurda, quemadmodum oſtendit Auicenna, æqualitas ideo nulla in medicina poteſt dici ſecundum formam, & ſubiectum, ſed tantum dicimus medicinam æqualem eſſe, ſecundo modo uidelicet quòd medicina ipſa habeat potentiam producendi effectum talem per immutationem factam ab aliquo immutante, & alterante, per quam mutationem huiuſmodi potentia deducatur ad actum, quæ medicina antequam alteretur licet non ſit calida, frigida, humida, & ſicca, tamen poſt alterationem poteſt, uel calefacere, uel frigefacere: ſi igitur ſumamus æqualitatem, uel inæqualitatem iſto ſecundo modo, dicimus, quòd medicina ſic poteſt dici æqualis, uel inæqualis, ut ſcilicet habet potentiam agendi, uel non agendi, uel patiendi, & non patiendi. Reſtat modo aliud uidendum, nam cùm hæc potentia, uel facultas ſit duplex, uidelicet aut actiua, aut paßiua, de qua nam potentia intelligitur in ipſa medicina. Vtrum intelligi debeat de actiua, an de paßiua? pro quo animaduertendum, quòd ad hoc reſpondere non poſſumus niſi prius facta diſtinctione, eò quia multiplex eſt de hac materia interrogatio. nam interdum agunt medicamenta cũ potentia actiua, quandoq; cum potentia paßiua, ideo ſciendum eſt, quodcunque ingreditur corpus humanum, illud dici, aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum: aut dicitur æquale, & id aut eſt medicina, uel cibus. primum

mum autem dicamus de cibis, quomodo cibus poßit dici calidus, frigidus, humidus, ſiccus, aut æqualis. quia ſi quis interroget quo ad hoc, ſcilicet de cibis ipſis, quam habeat potentiam cibus, an actiuam, an paßiuam reſpectu caloris noſtri alterantis. Reſpondetur diſtinguendo de cibo, uidelicet cibum dupliciter capi, aut enim dicitur cibus abſolute cibus; aut ſecundum quid, ſcilicet cum additamento aliquo. de cibo abſolute dicto tunc dicimus, quando dicimus tantùm cibum: ſecundum quid uero dicitur cibus, & cum additamento, ut cum dicitur cibus medicinalis. Si modo interroges de cibo abſolute dicto, Dico, quòd ille habet potentiam paßiuam tantum, & puram; quando admouetur corpori humano, in eo cibo ſolummodo reperitur poteſtas ſimpliciter paßiua; nam cum ſubito fuerit aſſumptus cibus talis, ſtatim ſecundum omnes partes alteratur à calore noſtro: & ita, ut ipſe calor non habeat perpeti, nec minimam alterationem, uel calidi, uel frigidi, ab eo cibo, ſed cibus ipſe immutatur, & alteratur ab ipſo calore ſecundum totam ſubſtantiam; aliter non eſſet purus cibus, ſed cibus medicinalis, uel medicina, nec fieret ſimilis corpori. Dico autem, quòd alteratur ſecundum totam ſubſtantiam & æqualiter, quia in concoctione, & alteratione cibi generantur, & excrementa; quæ & ſi fiant, excrementa tamen ipſa deijciuntur ab ipſo calore. Ideo et ſi non uidetur æqualiter alterari cibus, & totus conuerti in ſubſtantiam corporis, quia apparet eius maior portio, quæ prorſus in eo eſt in potentia, quòd ſimilis fiat corpori & ſunt ut dixi, ipſa excrementa, tamen totus uincitur

tur

Cibus absolu. te talis h[abet] potentiam passiua[m]

tur cibus à natura, & à calore innato diuersimode, scilicet secundum diuersas partes, quæ reperiuntur in tali cibo. quia uniuscuiusque cibi aliqua reperiuntur de necessario excrementa, quæ corpori aßimilari minime possunt ex quo fit, quòd una pars deijciatur, quæ ad corporis nutritionem non est utilis, altera uero quæ est bona, remanet, & nutrit, & tandem aßimilatur substantiæ corporis. Patet igitur, quòd cibus æqualiter dominatur à calore, qui distribuit per uniuersum corpus partem, quæ debet distribui: expellit etiam, quod expelli debet absque ulla caloris alteratione sensibili, nisi tantum dicas, quòd alteratur calor per eam contrarietatem, & pugnam, quæ fieri solet inter agens, & patiens: eo modo, inquam, quo patiens resistit agenti, uidelicet insensibiliter; de qua re actione, siue resistentia habent considerare philosophi non autem nos medici, qui non habemus transcendere genus, scilicet ultra ea, quæ appareant sensui sensum omittendo, ut rationem amplectamur. Dummodo enim sciat medicus, quòd in corpore non est insignis reactio cibi in calorem, non curat ultra, quia tantum curam habet, ut conseruet secundum sensum, quod adest, quod uero est amissum, recuperet. Quare dico, quòd cibus absolute dictus nullam facit sensibilitatem, seu sensibilem alterationem aduersus calorem innatum. immò æqualiter conuertitur ab ipso calore, & redditur similis corpori. Dico autem simile large loquendo, & medice qui quidem cibus est in potentia paßiua per totam alterationem à principio ad finem respectu nostri caloris, qua de re dicitur cibus absolute,

quia

quia non imprimit alterationem aliquam, ut dixi, notabilem in calore. At dicet quis, talis cibus adauget calorem? Dico, quòd hoc modo auget calorem, quia auget caloris substantiã, non autem, q; alteret corpus: ideo cibus purus semper habet potentiam paßiuam respectu caloris humani usque ad ultimum alterationis. At cibus consideratus non simpliciter, sed secundum quid cibus dictus, qui cibus appellatur medicinalis, & iste est cibus, & medicina insimul, alio modo consideratur. Quippe alia est considerandi ratio circa istum, in quo non est pura potentia paßiua. Verum ut cibus est, æqualiter conuertitur à calore, ut autem medicina sic habet alterare calorem ipsum. ueluti nasturtium facit, & lactuca, ambo sunt cibi, sed cibi medicinales, qui licet alterentur à calore, tamen prius alterant ipsum calorem quoquo modo sua potentia: qui tandem uertuntur in substantiam humani corporis. Primùm igitur dicuntur cibi, quia eorum substantia potest conuerti à calore in substantiam corporis: fit enim sanguis post ipsorum alterationem: ex hisq; nutritur ipsum corpus: ideo hac de causa nasturtium dicitur cibus, & lactuca, & similia, quia habent conuerti in corporis substantiam; uerum quia cibi tales præter potentiam paßiuam habent quid aliud, non enim sunt etiam omnino sine aliqua ui medicinali, quia, ut puta, nasturtium habet in se aliquas partes terreas, subtiles, ac facile inflammabiles, & est natura calidum; quæ quidem partes ita se habent ad calorem innatum, ut cum calor ipse fuerit approximatus ipsi nasturtio, inflammet partes illas

sub-

subtiles, ac terreas, quas inflammando inflammetur etiam ipse calor humanus magis, dum alterat ipsum nasturtium, quàm antea; quia augetur qualitas ipsius caloris, lactuca uero, quæ est frigida, habet etiam uim medicinalem. sed quia in ea sunt partes frigidæ, & humidæ, uiscidæ, dum calor uult, & incipit eam alterare, ipsa ratione harum partium à principio ualde repercutit, & ipsum calorem comprimit, sic enim obtunditur calor à lactuca, & refrigeratur, dum in ipsam agit, ut agendo eam corporis substantiæ assimilet. Accidit igitur hoc calori, quum non possit facile, & primo occursu alterare, ac concoquere lactucam, ut per eius partes frigidas & humidas obtundatur, & infrigidetur ob hoc dicitur lactuca frigida; sicuti & nasturtiũ dicitur calidum, quia habet partes subtiles, terreas, quæ facile à calore inflammantur. At lactuca ob contrariam rationem dicitur frigida, quia ratione suarum partium frigidarum & humidarum per concoctionem fit ualde rebellis calori innato; quum in eas calor non potest facile agere. Ambo igitur iure dicuntur cibi medicinales. Exemplum autem sit de his duobus, & lignum siccum, & lignum uiride, & humidum; uti enim se habet lignum siccum positum ad ignem sic nasturtium, quod scilicet facile à calore innato inflammatur ratione partium subtilium, ideo facile alteratur à calore innato; lactuca uero respectu caloris habet rationẽ quemadmodum lignum humidum, & uiride positum ad ignem. Lactuca quidem conuertitur per alterationem à calore, sed in principio alterationis calor ipse feré suffocatur,

ac

ac prosternitur ab illis partibus humidis lactucæ & frigidis. Retunditur igitur sic calor innatus, dum ei exhibetur lactuca, quia multum est frigida, & humida. sic enim ligna uiridia posita super ignem, prima actione ignis ferè extinguitur ab ipsis lignis ob eorum humiditatem, ac frigiditatem, & ita, ut non poßit agere comburendo: tamen post multam, & diutinam pugnam ligna superantur ab igne, ac ab eo comburuntur, dum iam consumpserit paulatim id humidum obstans, quin ignis à principio ageret in ligna; ignis igitur primum dum subijcitur lignis uiridibus ab illis repatitur, sed absumpta tandem eorum humiditate, ignis ligna adurit per eius alterationem, quia, ut dixi, habet potentiam actiuam, pariter dicendum ipsa lactuca, dum occurrit calori innato in nostro corpore, aßimilatur enim prorsus illis lignis uiridibus ad ignem positis. Calor enim dum incipit agere in lactucam, antea quam ipsam conuertere poßit in substantiam corporis, prius ab ipsius lactucæ partibus quibusdam obtunditur, ac ferè extinguitur. Existit quidem lactucæ substantia aquosa ualde, cuius ratione non facile conuerti potest ab ipso calore. At de nasturtio alio modo dicendum est, in quo sunt partes, non dicam igneas, quia sic confunderem terminos sed partes tenues, subtiles terreæ, ac in sua mixtione attenuatæ facileq; inflammabiles. Non dico tamen, q, in illis sit propria caliditas, sed potentia talis, ita q, si nasturtium ratione harum suarum partium subtilium terrearum, & facile inflãmabilium, approximetur calori innato, facillime possunt huiusmodi partes inflammari. quoniam de facili

habet agere calor in eas ob talem ipsarum partium poten tiam. At si comparetur nasturtium ad hominis tempera= turam primo modo acceptum scilicet ut cibus tantum est secundum quid, & medicinalis, quia habet partes supra di ctas, quæ adhibitæ calori innato, euenit, ut facile inflam= mentur à calore; quia augetur eius qualitas. Quòd ita sit probo per ipsum ignem, & hoc modo facile est probare, quum inter ignem & calorem nostrum sit maxima simi= litudo, et symboleitas, accipiatur lignum siccum, aut lapis, aut ferrum, & ponatur ad ignem, dum ignis inflammat ferrum, aut lapidem, aut lignum, in quibus non est caliditas aliqua, nec per comparationem est aliqua similitudo tunc ignis comburet lignum, & ferrum inflammabit, uel lapi= dem. & hoc est ratione potentiæ in eis, & partium, quæ facile habet inflammari. etiam dico, q̃, dum ignis primum incipit agere in ferrum, à principio calefacit ipsum cũ dif ficultate, sed cum postea lapis, uel ferrum inflammatũ fue rit, longe maior erit calor ille, q̃ anteq̃, quoniam subiectũ illud est terreum, siccum, densum, ideo maiorem caliditatẽ facit, de his consimiliter dicendum est, quæ absumuntur in tra corpus habentia partes terreas, siccas, quæ de facili im mutantur, & alterantur à calore, dum inflammata est eo rum substantia per calorem est ergo in nasturtio poten= tia quædam à sua substantia. quia habet partes subtiles ter restres, ac de facili inflammabiles. in quas dum agit calor naturalis, eas immutat ad sui naturam, & sic adaugetur ipsa caliditas seipsa; & ipsum nasturtium, dum à calore immutatum est, etiam magis calidum dicitur esse, q̃ calor

ipse

ipse naturalis: quoniam calor innatus in humano corpore, habet de humido, sed dum inflammatur nasturtium ab eo, fit calor ipse acutior se ipso, & acrior; & hoc est à qualitate aucta, pariter assumas, quæ non habeant substantiam ita terream subtilem inflammabilem, sed magis temperatam, qualis est borago. quæ forte in substantia medio modo se habet. licet declinet ad hoc, ut magis calefaciat corpus tamen eius substantia, ac eius partes non sunt sic terreæ, non sic densæ, sed feré temperatæ. in quam cum agit calor innatus, excitatur quidem calor, & fit maior caliditas, sed non multum, nec augetur calor innatus in qualitate per augmentum, de quo sit curandum, quoniam borago non habet substantiam, nec partes sic præparatas, ut ita facile, & adeo inflammentur, sicuti factum est de nasturcio, aut de ferro, aut lapide inflammato, seu de ligno combusto. Aliquantisper igitur augebitur calor per inflammationem boraginis respectu sui ipsius antea, non tamen insigniter, quia per alterationem factam in boragine calor adhuc permanet æqualiter, & talis, qualis antea non igitur per inflammationem boraginis ita inflammatur calor, nec augetur magis, quã antea, ita q; hoc percipi poßit. Sic dicendum medicinam esse calidã primo, aut secundo, tertio, aut quarto gradu respectu suæ substãtiæ; quæ dum assumpta est in corpore, dumq; alteratur à calore secundum diuersum gradum talis medicinæ; sic magis uel minus augetur calor; ita q; nil aliud dicendũ sit, nisi q; partes mixti facile inflãmabiles sc[illegible]m magis et minus habent sic augere ipsum calorem secundũ magis & minus

respectu sui ipsius ante huiusmodi inflammationem. Habet igitur immutari calor innatus ita, uel ita; uidelicet uel in secundo, uel in tertio gradu, siue quarto, secundum scilicet gradum, quem habet cibus ille medicinalis assumptus. qui si in secundo gradu, habet inflammari, ita pariter augebitur calor innatus per gradus duos; sic de alijs dicendum, Vnde dicitur cibus medicinalis, quoniam in primo occursu, quum calor in eum agit, non facile cõcoquitur à calore, immo alteratur calor ipse ab ipso cibo, & si tandem cibus iste medicinalis uincatur à calore innato, uertatur q; in substantiam corporis, quemadmodum dictum est de lactuca; quæ & si primo refrigeret calorem, tamen ab eo post pugnam longam cõcoquitur. sic de alijs consimilibus secundum plus, uel minus, uti in illis erit, uel plus de ficcioribus partibus, uel plus de frigidis, ita augetur deinceps diuerso modo calor innatus. His sic declaratis, quid dicendum? Dicimus, q; cibus, pro ut est absolute cibus, si accipiatur respectu caloris nostri, talis cibus est in potentia passiua per totam alterationem à principio scilicet usque ad finem: si uero sit cibus secundum quid, & medicinalis, in principio, dum calor agere incipit in eum aliqua alteratione, oportet q; calor aliquid patiatur agendo in cibum, aut per refrigerationem, aut per calefactionem magis: q; postea cibus conuertitur in corporis substantiam. qui quidẽ si habeat partes terrestres, subtiles, ac facile inflammabiles, ille facile inflammatur, et adauget calorem, qui assumit qualitatem actiuam à calore, & ideo magis tunc recalefacit, quia iam est redditus inflammatus, ac tunc incipit

agere

Pro medicina frigida

agere circa calorem per potentiam actiuam, primo modo ſcilicet acceptam quia eſt in ſubſtantia terrea denſa, & ideo partes illæ optime recipiunt calorem, & ſeruant. Verum ſi cibus ſit frigidus & humidus, rebellis concoctioni, qualis eſt lactuca, tunc non facile conuertitur à calore, ſed primum alterat calorem, poſtea reuiuiſcit calor, ipſumq; cibum ſuperat, & tandem conuertit eum in ſubſtātiam corporis humani. Bene aduertatis ad hoc; quoniam de medicina calida facile eſt determinare quæſtionem hāc, ſed de frigida maxima eſt difficultas. & Auerroes contra Galenum, & græcos in his ſe equitem facit, ita ut Galenus & alij ignorauerint quomodo medicina frigida poſſit deduci ad actum per calorem innatum, ueluti lactuca quo ad partem medicinalem; (idem uerò eſt ſermo de cibo medicinali, & de medicina.) Quare circa hoc maximum eſt dubium, quum medicina dicatur frigida, quia non poteſt deduci, nec immutari à calore, quoniam uincit, & obtundit calorem, ſi ſic ergo uidetur, ꝙ in medicina ſit qualitas in actu, uel in lactuca; at ſi mutatur cibus medicinalis, uel medicina, ergo amplius non erit frigida quomodo igitur ſe habet hoc? ſi eſt frigida & non poſſit immutari, Quòd calor ſuperet eam, quippe ille dicet, ergo erit actu frigida? Dico, ꝙ non, ſed in lactuca eſt potentia actiua, uel dicas qualitatem (ſic de alijs conſimilibus lactucæ dicatur) quæ potentia actiua in primo occurſu quoquomodo obtundit, & alterat calorem innatum, in quo certamine caloris cum tali cibo ob huiuſmodi potentiam, tunc minuitur calor; quia calor incepit iam agere in eum, quando

Vide in de coelo 365 b.

enim cibus iste medicinalis à calore deducitur ad actum, uidelicet, dum calor agit, & alterat eum, tunc ex resisten tia paßi, uidelicet, cibi, fit reactio adeo uehemens in calorem, q, & sæpe percipitur calorem minui; Bene calor aggreditur primum medicinam, ut eam alteret; sed quia illa habet potentiam actiuam, & magnam, ideo per eam fit reactio, quæ remittit de calore, unde in prima actione caloris uersus lactucam; lactuca habet potentiam actiuam, quo quomodo, quæ potentia non potest deduci ad actum, nisi ab aliquo agente scilicet à calore innato: sed cum calor incipit in eam agere, tunc per reactionem talis poten tia actiua obtundit calorem, & nunquàm medicina, uel cibus medicinalis ageret in calorem naturalem, ni prius calor ipse ageret in potentiam illam: & hoc modo fit pugna; licet autem in lactuca sit potentia illa actiua, tamen post primam actionem deducitur illa potentia ad actum caloris, & tandem conuertitur ad sui naturam. pugna autem horum est, ueluti si ponantur ligna uiridia ad ignē, primum uidetis, q, ignis incipit calefacere humidum ipsorum lignorum, & extrahit ipsum, quod postea obtundit, & quo quomodo premit ipsum calorem scilicet ignem, tamen per reactionem, & aßiduam pugnam ignis absumit humidum illud, & ultimo comburit ea ligna: pari modo fit in corpore nostro, dum accipitur cibus intra corpus medicinalis frigidus, primum calor naturalis incipit agere in cibum, uel in lactucam, nec ob id propterea dicere debemus, q, lactuca deducatur ad actum à calore primum; quoniam ipsa habet, ut iam dictum est, potentiam actiuam,

qua

qua calorem per reactionem repercutiat;ideo Gal. uult, q̃ in medicina detur potentia actiua,non paſsiua. nam paſ ſiua potentia ſolummodo reperitur in cibo abſolute dicto; & re uera Galen. nil melius proferre potuiſset contra Arabes,& Auerroin qui me hucuſque deceperunt, maxime anno elapſo,quos contra Galenum ſuſtinui in tertio artis paruæ;nunc autem cognoſco q̃ ſint mẽdaces in hoc; patet igitur,quæ ſit medicina frigida, uel cibus medicinalis,ſiue calidus,ſiue frigidus fuerit.qui cibus, & ſi habeat potentiam actiuam,tamen non poteſt deduci ad actum, ni prius in eum agat calor innatus; & hoc modo ſemper deducitur medicina ad actum à calore.Dico ſemper, quia cibus medicinalis,ut tantum cibus eſſe dicitur, ſubito conficitur,& uincitur à calore,ſed ut medicinalis,primum cibus iſte habet alterare calorem,qui quidem cibus, aut eſt calidus, aut frigidus, ſi uero habet, ut naſturtium partes terreas,ſubtiles,ac facile inflammabiles, in quas agat ipſe calor innatus,tunc augetur qualitas eius,non autem ſubſtantia,& ita calor uincit eum alterando, quia alterat eius partes,ex quo magis augetur calor ipſe per qualitatem tantum,ſinautem huiuſmodi cibus ſit frigidus,& humidus aſſumptus in corpore,qui habet ſuas partes oppoſitas iam dictis,ueluti eſt in lactuca;tunc euenit, quum calor incipit agere in lactucam,quemadmodum ignis in ligna uiridia,tunc potentia actiua lactucæ inſurgit contra calorem, ac per reſiſtentiam eum obtundit, & frigefacit; tamen habet tandem lactuca deduci & conuerti ſubſtantiam corporis à calore per concoctionem . uerum

anteq̃ conuertatur lactuca, calor in primis repatitur ab ea per frigiditatem; patet igitur, qui nam ſit cibus medicinalis, uel calidus, uel frigidus, & quomodo habeat potentiam actiuam. Cæterum ut optime dicta cum dicendis connectamus. Quando dicimus quid eſſe in potentia, uel in facultate, intelligimus eam reſpectu alicuius, ut uerbi gratia, in gladio eſt potentia incidendi, hæc tamen potentia nõ eſt interminata, & reſpectu omnium, quia licet gladius habeat potentiam incidendi & occidendi hominem, uel panem, non ideo habet incidere ferrum, quapropter gladius habebit potẽtiam incidendi terminatam reſpectu alicuius, ſic etiam dicimus medicinam temperatam, aut æqualem, uel inæqualem & intemperatam ſcilicet cum exceſſu per ſuã potentiam, quam in ſe habet, intelligimus dico reſpectu alicuius determinati, uidelicet corporis humani tantum, quod etiam tantum ſit temperatum, & niſi exquiſite cognoueritis iſta, confundetis omnia. Facultas igitur iſta in medicina eſt reſpectu tantum hominis temperati, ob id medicina dicetur calida, frigida, humida, & ſicca, quoniam in reſpectu talis dicitur, uel talis, unde quando medici dicunt medicinam, uel æqualem, uel inæqualem, hoc eſt uerum reſpectu hominis temperati. Hoc ſic ſuppoſito, modo quæritur in qua nam facultate ſint medicinæ? Diximus tria eſſe, ueluti extrema, eſt enim cibus, medicina, & uenenum hæc autem tria diuiduntur; nam cibus alter dicitur cibus abſolute, alter cibus medicinalis: ſic & medicina una dicitur cibalis, alia medicinalis; pariter & uenenum aliquod appellatur abſolute uenenum, aliud uenenum medicinale.

le. unde ſecundum diuerſitatem horum trium, uarius oritur modus reſpondendi, & primum quantum ad cibum, an ipſe cibus ſit in potētia actiua, an uero in paßiua; Dico quòd cibus abſolute dictus licet habeat naturam, quòd plurimum eius conuertatur in ſubſtantiam nutriti intelligimus modo iſto, quòd nullam habeat facere ſenſibilem alterationem aduerſus calorem innatum, & ſic purus cibus erit tantum in potentia paßiua: quum ſolummodo cibus ipſe, patiatur à calore, & totus alteretur, uincaturq́; non autem è contrario ullo modo; cibus ergo abſolute dictus nullam habet potentiam actiuam, quia ſemper, dū eſt in corpore, uincitur à calore, agiturq́; ſemper in eum, nec unquam quidem, uel minima cibi huius pars reperitur, quin à calore concoquatur, & ſi cibus in calorem agit, non agit ſenſibiliter; cum quidem eſt, quòd ſi calor agit in cibum per alterationem, quòd etiam calor repatitur, quoniam agentia omnia à paſſo aliquid repatiuntur; ſed non ſenſibiliter hic, nec ſenſu apparet ideo tota cibi huius ſubſtantia erit in potentia paßiua. cibus igitur abſolute cibus habet has conditiones, primum quòd plurimum eius uertatur in nutrimentum, & in ſubſtantiam nutriti, quoniam cibus habet partes, quæ habent tantum in nutrimentum conuerti, aliæ uero non ſunt aptæ ad hoc, ſed alteratæ à calore conuertuntur in excrementa, ſecunda conditio eſt, quòd ſit tantum in potentia paßiua; tertio quòd non faciat ullam ſenſibilem re actionem in calorem, dum à calore alteratur, & ſi quoquo modo, & inſenſibiliter agat contra calorem ipſum in corpore. Ideo ad

Cib absolut

Conditiones cibi absoluti talis [illegible]

quæsitum respondetur sic, quòd cibus absolute dictus, habet tantum facultatem paßiuam, quia secũdum totam eius substantiam per totam alterationem à principio ad finem usque semper patitur à calore: cibus uero medicinalis quam habebit proprietatem? de hoc quidem aliter dicendum: nam in hoc duo reperiuntur inesse, est cibus, et medicina, ideo dicitur cibus medicinalis, quia in se habet aliquid de medicamento. ex quo enim dicitur cibus medicinalis, duas habet intentiones inter se diuersas, tamen intelligas, quòd iste habet plus de natura cibi, minus uero de natura medicinæ; quam autem proportionem habet cum cibo absolute dicto? Declaro eam, iste cibus medicinalis has habet conditiones, primum ut bene de eo quid conuertatur in substantiam nutriti, sed non plurimum quemadmodum dictum est de cibo absolute dicto, immo minimum eius conuertitur in substantiam, secundo quòd sua substantia omnino sit in potentia paßiua, tertio q; secundũ qualitatem aliquam, & partem determinatam iste habeat potentiam actiuam, qua potentia actiua alteretur aliquo modo calor naturalis. Vnde prima conditione iste cibus medicinalis distat à cibo simpliciter dicto, quia non omnino conuertitur à calore præterea etiam in tertia conditione à cibo puro differt, quoniam iste medicinalis aliquo modo agit per potentiam actiuam in calorem innatum. At cibus absolutus nil in eum agit. Quum autem cibus absolutus habeat hoc, q; plurimum eius nutriat, quia multum de eo conuertatur in substantiam caloris, quis est cibus iste absolutus? Dico q; est uti panis, caro pulli, ac cæteræ omnes

bonæ

bonæ carnes, oua, uinum mediocre, & huiusmodi; qui sine alteratione aliqua sensibili caloris ab ipso calore conuertuntur partim in substantiam corporis, partim in excrementa, cibus uero medicinalis qualis est? est, ueluti uinum uetustum, mel, ptissanæ omnes, & huiusmodi, quæ secum habent, & de medicina, et de cibo, quoniam habent, ut uidebimus conditiones requisitas, & medicinæ, & cibo. probatur modo prima conditio, quia & si aliquid de cibo medicinali conuertatur à calore, non tamen plurimum. sed quidem pulli, caro, & similia, omnino alterantur, & plurimum de eis uertitur in substantiam nutriti, at ptissana, uinum uetus & id genus, quoniam habent nescio quid de medicina, ideo non plurimum nutriunt, sed parum, non plurimum, ut panis. & quemadmodum unumquodque medicamentum purum non ita nutrit, ideo cibi, qui habent partes in se medicinales, & ipsi non ita nutriunt ut cibi puri, habent. n. facultatem quandam actiuã, & aliquas facultates extraneas à natura, quibus cibus talis in corpore reagat sensibiliter in calorem innatum, ex quo non potest bene confici talis cibus, quoniam ab eo obtunditur calor, ut melius infra dicemus. Et consequenter calor non bene extrahit, nec recte digerit; & ideo patet iam, quo nam modo diuersimode alterentur cibi absolute accepti, & cibi medicinales: nam medicinales parum conuertuntur & ipsi reagunt in calorem; puri uero ut plurimum conuertuntur, minimeq; agunt ipsi in calorem quantoq; cibus medicinalis habet plures in se partes medicinales, tanto minus de eo conuertetur in substantiam

nu=

nutriti, quia cibus amplectitur à natura, medicina autem non. Vinum enim uetus, quia habet multum de acredine, quæ non nutrit ideo parum nutrit, dulcedo est, quæ recte nutrit, sic ptiſſana parum nutrit; ſed alia de cauſa pariter in ipſo melle est acrimoniæ pars, ratione cuius non multum nutrit, ptiſſana modice nutrit ob qualitatem in ea abstergentem, & licet tollatur per concoctionem ab ea abſterſio, illa tamen habet ſemper uim humectandi, & refrigerandi, quibus non recte uincitur à calore, quoniã harum qualitatum relatione huiuſmodi cibi medicinales habent potentiam actiuam, quia cum in has incipit agere calor, alteratur ab ipſis altero duorum modorum, aut quia inflammatur, & augetur; aut quia obtunditur & remittitur. Inflammatur calor naturalis, quando in mel agere incipit, quia mel habet partes ſubtiles terreas aduſtas, in quas cum calor agit, ſtatim inflammantur partes illæ ſubtiles terreæ aduſtæ mellis, quibus accenſis deinceps reſurgit calor, ac augetur, fitq; ſeipſo auctior per qualitatem auctam. Et hoc totum aſcribitur facultati actiuæ in melle ratione partium mellis, nam calor facillime augetur, ubi materia est ſicca, terrea, aduſta. Quapropter medicina una dicitur calidior ratione ſuæ ſubſtantiæ tenuis aduſtæ, ut uere eſt de ipſo melle, ac de uino ueteri. oppoſitum autem accidit calori per ptiſſanam, quia ptiſſana habet partes humidas, ac frigidas, ſicuti & in lactuca uidere licet, quæ partes ſunt ualde aduerſæ calori, ideo ipſum habent remittere, dum inſimul pugnant. Propter quod potius patitur calor à ptiſſana, quia obtunditur ratione ſuarum

rum partium, quàm ab ea augeatur. Si enim partes illæ humidæ frigidæ poſſent per calorem ad actum caloris deduci per eius alterationem, calor non obtunderetur, immo augeretur. Itaque patet, quomodo alterari poßit calor à cibis medicinalibus ratione medicinæ, ſiue calidis, ſiue frigidis, modo per auctionem modo quia obtunditur, & ferè ſuffocatur; Qua diuerſa alteratione facta in calorẽ cibus ille medicinalis, aut dicitur frigidus, aut calidus, dicitur calidus, quia habet partes facilè inflammabiles, ideo à calore uincitur, & ſi calor fiat per alterationem harũ partium calidarum ſeipſo auctior. Dicitur autem ille alter frigidus, quoniam partes eius non poſſunt alterari à calore ſtatim, immo primum obtunditur ab eis calor, quemadmodum dictum eſt de lignis uiridibus, ac de ſiccis: patet igitur, quòd cibus medicinalis tres habet conditiones, ſeu proprietates, quarum prima eſt, quòd minimum de ea conuertatur in ſubſtantiam corporis, quum tantum conuertatur pars, quæ habet rationem cibi non autem ea, quæ medicinæ. Secunda conditio eſt, quòd eius tota ſubſtantia ſit in potentia paßiua, quoniam calor omnino uincit eum, ut cibus eſt, concoquit, diuidit, abſtrahit, apponit. Tertia conditio ea eſt, quòd ſecundum qualitates, nõ ratione ſubſtantiæ habeat potentiam actiuam, quia aut inflammatur calor à cibo medicinali habente partes calidas ſubtiles, ideo auctior redditur calor ipſe ab eis, aut remittitur per obtuſionem à partibus frigidis, & humidis, ut patet de lactuca, quæ partes obſtãt naturæ caloris, quin primum ab eo uinci poßint. medicina quoque duplex
eſt,

medicina cibalis

aut enim medicina cibalis est, aut medicina pura, & medicinalis, sicuti & cibus duplex est. In medicina cibali sunt duo; est medicina, & est cibus. Differt autem hæc à cibo medicinali, quia in cibo medicinali erat plus de cibo, quàm de medicina; in medicina uero cibali est plus de medicina, quàm de cibo, & ita differunt inter se; habet autem medicina cibalis huiusmodi proprietatem, scilicet minimum de ea conuertatur in substantiam nutriti, & est in ultimo gradu eorum, quæ conuertuntur in substantiam nutriti, nam sicuti cibus absolutus omnino conuertebatur à calore, deinde cibus medicinalis minus, ita hæc cibalis medicina habet, q; paucißima de ea portio conuertatur à calore: qualis est cichorium, portulaca, et huiusmodi; ab his quippe extrahitur paucißimus succus ad usum nutritionis, et hoc est, quia habet tota ferè proprietatem medicinæ, quæ alterat corporis substantiam, præterea alterat corpus per qualitates suas; primo igitur medicina cibalis secundum substantiam est tota in potentia paßiua, quia dum aßumitur, et comeditur, tunc calor uincit eã quo ad substantiam suam, quoniam in eam quidem agit, ipsamq; superat, ideo pars eius concoquitur à calore pro nutrimento, et si sit minima pars; alia expellitur, quale est excrementum, et ista est maxima; At qualitates horum medicamentorum non sunt in potentia paßiua, sed actiua; quæ qualitates, cum sint in actu habent calorem ipsum alterare, et uincere siue calefaciendo, siue refrigerando. si partes eius sunt subtiles, et inflammabiles, subito à calore inflammantur, quibus accensis postea calor magis augetur,

acri=

acriorq; seipso redditur. sin autem partes suæ frigidæ, et humidæ sunt, ab ipsis obtunditur calor, et hæc sunt iam manifesta ob superius dicta; et in hoc tantum differt medicina hæc à cibo medicinali, quòd plus cibi medicinalis conuertitur à calore; huius uero minima portio uincitur, ac transit in corporis substãtiam. Medicina uero absolute dicta, et medicinalis, seu simplex si debet esse talis, debet habere omnes suas condictiones oppositas cibo simpliciter dicto. Eius autem conditiones hæ sunt; primum quòd nihil de ipsa medicina conuertatur in substantiam nutriti, immò prorsus aduersetur calori. prima ergo sua proprietas erit, quòd nihil de ea conuertatur in substantiam nutriti; secunda conditio, quòd tota sua substantia sit in potentia paßiua, et in hac secunda conuenit cum cæteris iam dictis; ratio autem est, quòd eius substantia tota sit in potentia paßiua; quoniam prorsus dominatur à calore naturali, et ab eo ad extra expellitur: non tamen uincit calor eius qualitates, sed per oppositum qualitas medicinæ agit in calorem secundum quòd maior, aut minor est eius qualitas, et uis, quoniam qualitates eius habent potentiam actiuam, cui quum obuiam fit calor noster, excitatur qualitas, quæ dominatur in eo mixto, siue calida, siue frigida; uel magis, uel minus calida sit, aut frigida, quæ per reactionem, agit in calorem, quem alterat, et uincit siue calefaciendo, siue refrigerando ueluti piper, quum habeat uim calefaciendi, ideo maxime inflammatur in corpore humano. Quod quidem penes substantiam habet

bet qualitatem paßiuam, et hac ratione uincitur à calore. At ſecundum qualitates ſuas, quoniam habet piper partes ſubtiles, ſiccas, terreſtres, ac facile inflammabiles, dum calor naturalis in eas agere incipit, habet potentiam actiuam, quæ habet calorem uincere, & ſi piper in ſe non habeat calorem aliquem reſpectu corporis humani; ſed eſt tantum in potentia maxime actiua propter inflammationem caloris innati in eas partes attenuatas ac ſubtiles ipſius piperis. Et ita calor receptus in ſubiecto, aut fit acrior ſeipſo, aut minor, & obtunditur ſecundum quòd partes ſubiecti, uel inflammabiles ſunt, uel contrariæ calori, unde piper habet calefacere inflãmatus, ueluti ignis, ſed cito exhalat quia ſubſtantia eius eſt terrea, tenuis, ac tranſpirabilis. Ideo Gal. dicebat piper non calefacere hepar, quia non tranſit uenas meſeraicas. nam ob eius ſubtilitatem cito tranſpirat, & diſſoluitur. ſunt & alia, quibus inflammatur calor, ueluti eſt calamentum, licet non ita excitet, ut piper, quoniam in calamento non ſunt partes ita ſubtiles terræ tranſpirabiles. Ideo nec calor accenſus ab eo eſt adeo igneus, ſicuti de pipere dictum eſt. Quũ igitur calamentum non habeat partes ita inflammabiles, nec ita ſubtiles, ſed craßiores, quàm piper, merito calor auctus à calamento non erit ita acris: ſed diutius tamen durabit, quum partes eius non ſint adeo ſubtiles, ideo nõ ſic facile diſſoluentur. Vbi igitur calor reducitur ad actũ in partibus calamenti, habet diutius perdurare caliditas talis in eis: ac etiam ad hepar tranſire: unde Gal. & recte, dicit, quòd calamentum, & diaſpoliticum nullo modo exhi-

exhiberi debent, ubi cruditas uentriculi adfuerit, quum eo rum caliditas habeat pertrãsire ultra uenas meseraicas us que ad hepar, secum deducent humores crudos per totum ambitum uenarum. Patet igitur, quomodo differant gra= dus caloris aucti, & ratione partium in pipere, & ratio ne calamenti, ac etiam quomodo unus magis, & diutius permanet alio; Præterea est alius caloris gradus magis mitis, ac magis benignus, ratione partium alterius mixti, quæ & si sint subtiles quidem, & inflammabiles, tamen mi nus; ueluti si accipiamus liquiritiam, quæ parum inflam= mat calorem innatum, quia eius calor est mitis, benignus, dulcis, ac suauis, inflammabilis quidem, sed mediocriter; quoniam non habet liquiritia substantiam terream siccam inflammabilem, sed aeream, suauem. & hoc est, quia par= tes eius sunt huiusmodi: & hinc habemus liquiritiam non habere calorem, nisi in primo gradu; Quod autẽ dicimus de medicamentis calefacientibus, ac augentibus calorem, idem per oppositum intelligi dicimus de infrigidantibus, quæ quanto magis repugnant calori per suas qualitates, eo magis imprimunt frigiditatem in calorem, qualis est portulaca, & opium, & huiusmodi, quæ cum habeant po tentiam actiuam, uidelicet frigiditatem nimiam partium, quia refrigerent calorem innatum sua huiusmodi qualita= te, ideo calor non potest inflammare eas; licet quo ad sub= stantiam semper opium & huiusmodi superantur à calo= re naturali. Medicinæ igitur hæ opiatæ, quum habeant in se potentiam actiuam, quo ad qualitates suas calorem ob= tundunt, dum ipse calor eas uincere tentat; tamen omnino

// medicinæ omnes absolutæ non uenenosæ tandem à calore uincuntur; & immutantur. quoniam si post longam reactionem superarent omnino calorem, tunc huiusmodi non essent medicinæ absolutæ, sed uenenosæ; medicinæ ergo hæ in substantia tota quidem à calore humano superantur: At ex parte suarum qualitatum nonnunquàm excitatur calor interdum obtunditur secundum, quòd in uno mixto sunt qualitates inflammabiles, in alio frigidæ, & humidæ uim habentes supprimendi calorem; ratione cuius diuersitatis medicina una dicitur calida, alia uerò frigida; nisi medicina aliqua sit adeo frigida, quia habet partes maxime frigidas, crassas, uiscidas, ut calor nullo pacto poßit dominari eis. sed dico medicinam frigidam, ut tamen aliquo modo dominetur ei calor, eamq; foras propellat; & si non conuertat ipsam; quia non potest immutari ab eo eius qualitas, tamen tollitur sua qualitas: Dicetur ergo medicina absoluta talis, uel talis secundum quòd ei dominatur calor, uel calorem uincit ipsa; quia ut calor uincit eam, ipsa dicitur habere potentiam paßiuam, uidelicet in substantia; ut autem calor uincitur, habet potentiam actiuam ratione suarum qualitatum, ac partium ipsius medicinæ, quæ tamen agunt sine detrimento, ac manifesta alteratione in corpore. Succedit post medicinam absolutam, medicamentum uenenosum, quod habet uim lædendi corpus humanum. Primo uel euacuando & purgando, quod non debet euacuare, uel ulcerando, uel alterando, quod non debet alterare. (omnia hæc etiam habebitis in tabula nostra) ex quo medicina hæc uenenosa est me=

medicina uenenosa

medicina, habet hoc, quòd nihil de ea uertatur in ſubſtantiam corporis. nam medicina hæc duas habet indicationes, prima indicatio conuenit ei, ut eſt medicina tantum, quòd ſcilicet nihil eius tranſeat in corporis ſubſtantiam; In eo uero, quòd eſt uenenum, per ſuam ſubſtantiam eſt in potentia actiua, uidelicet tàm penès ſubſtantiam, quàm qualitatem, ideo agit in calorem naturalem alterando eum ſenſibiliter & ex hoc patet differentia medicinæ uenenoſæ à medicina abſoluta; quia medicina abſoluta in tota ſua ſubſtantia erat in potentia paßiua: ſed in qualitate habebat potentiam actiuam; At iſta tam in ſubſtantia, q̃ in qualitatibus eſt in potentia actiua, uidelicet ut eſt uenenoſa, quia ut medicina in ſubſtantia habet potentiam paßiuam, in qualitate actiuam, At ut uenenum prorſus & in ſubſtantia, & in qualitate eſt in potentia actiua. ideo habet alterare calorem naturalem in corpore ſenſibiliter, ac manifeſto detrimento; proprietates, igitur medicinæ uenenoſæ ſunt, q. primo nihil de ea uertatur in ſubſtantiam corporis; ſecundo q. licet in ea, ut medicina eſt, ſit aliqua pars cum potentia paßiua, tamen habet partes, ut uenenum eſt in ſubſtantia, quæ ſua ſubſtantia ſenſibiliter agunt alterãdo calorem innatum, tamen magis operatur, ac magis calorem ſuis qualitatibus alterat; quia qualitates tam ex parte medicinæ, quàm ueneni habent potentiam actiuam; primum igitur habet q. non conuertatur à calore in ſubſtantiam corporis, ſecundo, q. in ea, ut accipitur aggregatum, eſt pars in ſubſtantia, quæ ſenſibiliter agit in calorem noſtrum, pro quo diſtat à medicina abſoluta. tertio ha-

bet qualitates undequaque deterrimas, quæ actualiter, & magno detrimento lædunt calorem; Alterat igitur uel euacuando, quod non debet euacuare, quemadmodum facit ſcamoneum, quod eſt medicina uenenoſa purgans, & omnes ferè medicinæ, quæ ui attrahunt, hæ dicuntur uenenoſæ; non tamen quia in qualitatibus ſuis per alterationem ſit acredo, & uenenum, ſed quia uiolenter attrahunt à corpore, quod etiam iuuatiuum eſt. attrahit à capite, quod nõ conuenit ut ſanguinem; ea propter quum nõ tantum purget, quod purgari debet, appellabitur medicina uenenoſa; dicet ille purgat bilem trahendo? Dico, q̃ unq̃ nihil attrahi poteſt de nocitiuo, quin etiam ſecum afferat de iuuatiuo; licet enim trahant bilem, aut materiam peccantem, trahunt etiam de eo, quod corpus iuuat; unde Gal. in ſecundo de ratione uictus acutorum loquens de pleuritide inquit, cauendum eſſe ab his, quæ ſic uiolenter attrahunt; ſecundo hæ medicinæ alterant ulcerando, & erodendo, uti facit euphorbium, & cantharides, quæ habent ulcerare inteſtina, ac ueſicam à mala ſua qualitate occulta; ob quam dicuntur uenenoſa medicamina; ſi autem hæ corrigantur, ac exhibeantur in debita quantitate, tunc erunt medicinæ, quæ & plus iuuabunt, q̃ nocebunt; ſi in magna quantitate fuerint, ut dixi uenenum: Medicinæ uero uenenoſæ alterantes ſunt potiſsimum refrigerantes calorem, ipſumq́; per ſuffocationem deſtruentes, quale opium, & papauer: iſtæ medicinæ ratione ſuæ eximiæ frigiditatis deſtruunt calorem innatum, ideo dicuntur uenenoſæ per alterationem, quid autem etiam de his dicat Galen. uideas ſecundo

cata=

catatopus, ubi iubet prorsus cauendum ab opiatis in sedādo dolore; idemq́; in 13. artis curatiuæ ab opiatis cauendum, quia alterant cum maximo corporis detrimento; pariter dicit Auicenna dum uis prouocare somnum, non pertranseas succum papaueris albi, non accedas ad opium, quia nimium alterat calorem sua uenenosa qualitate; ultimo succedit uenenum ipsum, quod prorsus contrariatur ipsi cibo puro, & absolute dicto; sicuti enim purus cibus totus conuertebatur à calore naturali; uenenum uero se habet opposito modo, quoniam nihil de eo conuertitur ab ipso calore in substantiam corporis, & hæc est sua prima proprietas; secundo q. sicuti cibus erat totus in potentia paßiua, uenenum est omnino ei oppositum, quia prorsus habet potentiam actiuam; & uti cibus purus non alterat calorem sensibiliter; sed è conuerso à calore alteratur ipse omnino, uenenum uero nullo modo alteratur à calore, immo calor innatus penitus à ueneno superatur, ac sensibiliter destruitur; & ita, quòd corpus humanum respectu eius se habet ut passum; ideo uenenum est aufugiendum; uidetis igitur quot modis sit respondendum quæsito; quando quæritur, nunquid medicina sit æqualis, an inæqualis scilicet calida, frigida, humida, & sicca. His modo sic uisis, pro declaratione eorum, quæ hactenus dicta sunt, uidenda supersunt quatuor corollaria insequentia, quæ diximus: quæ quidem maxime uobis aperient nuper dicta; Horum autem primum est, quod sequitur ex dictis nostris, quo respondetur primo ad illud dubium, an omnes medicinæ cibi, & uenenosæ medicinæ, & cibi medicinales,

sint in potentia passiua, & actiua; id non est ratione suæ temperaturæ, q. sint tales respectu humani corporis, sed quòd fiant similes temperaturæ corporis nostri, postq̃ ei fuerint applicatæ: sed dices in corporibus fiunt ab his diuersi affectus, seu boni, seu mali, ergo sequitur, q. medicina, uel cibus, & cætera non sunt æqualia, ut sint æqualia temperaturæ humanæ? Dico, q. aliud est dicere habere talem facultatem, & aliud habere talem temperaturam, quemadmodum uisum est; secundum corollarium, q. una & eadem res respectu unius potest esse cibus; alterius uero dicitur uenenum, aut medicina, sicuti folia salicis respectu animalis bruti est cibus: respectu uero hominis est uenenum; ferrum strutho camelis est cibus, ab homine autem concoqui nequit, quare uidetis, quomodo una, & eadem res respectu diuersorum modo pro cibo, modo pro medicina, aut ueneno capi possit, tales enim dicuntur, uel tales; respectu determinati corporis, secundum q. applicantur huic, uel illi corpori: tertium corollariũ est, q. multæ sunt medicinæ, quæ quo ad temperaturam suam sunt intemperatissimæ, & inæquales cum insigni excessu quarundam qualitatum; tamen respectu corporis, cui applicantur, sunt temperatissimæ, ueluti lithargyrus & oleum, quia in sua temperatura non est temperamentum, sed inæqualitas, quum in his dominentur partes aqueæ, & terreæ; tamen respectu humani corporis, sunt medicinæ temperatæ, quia non ualde alterant calorem humanum; quare reperiuntur medicinæ, quæ respectu humani corporis sunt temperatæ; at respectu sui met sunt intemperatæ

pera=

peratißimæ; quartum corollarium, quod est maxime annotandum, illud est, quòd licet medicina dicatur talis, uel talis, uidelicet uel æqualis, aut calida, & frigida potentia, respectu caloris innati dicitur esse, qui uno modo alterat ipsam per deductionem de potentia ad actum; Dico calidam, uel frigidam, quia dum exhibetur corpori, aut inflammat ipsum, aut destruit per refrigerationem; hoc fit à uaria temperatura ipsius medicinæ, uidelicet ut habet talem temperaturam, ut facile inflammetur, aut calor ab ea obtundatur; ea propter uel caliditas augetur, uel diminuitur ratione partium medicinæ dum exhibetur intra corpus; calor autem noster deinde agens in eam secundum q. temperatura eius medicinæ fuerit uaria, fiet uaria actio, orienturq; uarij effectus in corpore. Vnde Gal. dicebat, quòd hæ medicinæ sunt tales, uel tales à sua substantia, quia aut dominantur in eis partes igneæ, uel aereæ, & cætera, ratione quarum medicina exhibita aut habet calefacere, aut refrigerare; & hoc totum dicitur esse à temperatura medicinæ. postea dicit quum calor in eam egerit uel hoc, uel eo modo, dicetur aut calida, aut frigida etiam ratione caloris humani: medicina quidem temperata est, quæ primum facit talem, uel talem denominationem per suas qualitates cum excessu; sed cum calor incipit in eum agere. tunc non dicitur medicina talis, quia habeat hoc in forma sua; dicitur ita, uel ita, quia in uarijs corporibus, quibus applicatur ratione diuersitatis caloris facit diuersos affectus; qualis lythargyrus est, qui in se calidus est, non tamen dicitur ita respectu corporis humani, quia lithargyrus

non uincitur à calore, ut inflammetur; tamen respectu corporis humani dicitur temperatus, & propter hoc calor noster parum agit in ipsum, non enim ualde inflammat, sic & oleum respectu sui dicitur esse temperatum, quod si à calore uerti posset, maxime calefaceret; sed quia calor non ualde uincit ipsum, ideo uidetur temperatum respectu caloris innati; unde licet agant medicinæ à temperatura sua, ut per eas inflammetur calor, aut obtundatur: non tamen ob id medicina fuit quippiam, uidelicet quòd hoc primo effectu sortiatur de nominationem caliditatis, uel frigiditatis, quia non possunt agere præcipue, & semper, ideo ad hoc, quòd debet dici calida, aut frigida, in primis calor innatus debet agere in medicinam ipsam, eamq; deducere ad actum; calor noster debet esse determinatus ad hoc, quòd actio sequatur. postquàm superata fuerit medicina, tunc sortietur nomen, uel caliditatis, uel frigiditatis. Qua de re habetis, quo nam modo sit respondendum ab hoc quæsitum. Modo deueniamus ad Auerroem, qui tribus medijs inuehitur contra Gal. appellans ipsum insufficientem, & hoc uidere est in quinto colliget cap. secundo, & infra; Primum Auerro. adducit unum inconueniẽs contra ipsum Galen. circa distinctionem cibi, & medicinæ: Dum Galen. dicit, cibus est, qui patitur à calore humano, medicina uero, quæ non patitur; ob hoc Auer. contra eum inuehitur inquiens ò Galene non debebas sic dicere; Dico autem ego, q, Gal. uere distinxit modo eo, quo imponit Aue. illi, sed diuisit, sicuti supra diximus nos: & optime; ulterius. n. distinxit Galen. q̃ dixit Auerr. nam cibus

sic

ſic diſtinguitur à medicina, quoniam cibi proprium eſt, ut conuertatur omnino à calore innato in ſubſtantiam nutriti, ut eſt in potentia paßiua: ita enim diſtinguitur à medicina; At medicina ipſa non conuertitur à calore in ſubſtantiam corporis; tamen Auer. dicit, ut loco allegato uidere poteſtis, quòd alio modo debet cibus diſtingui à medicina, & inquit; cibus eſt, qui ponit partes naturales cibales, ac uertitur in ſubſtantiam diſſoluti eiuſdem ſpeciei; ſic enim diſtinguit Auer. cibum à medicina; Notate modo, quòd ipſe Auerro. non recte intellexit Gal. quid mirum igitur ſi, quæ minime dicenda erant, profert in Galenum. Ita q; expeditis omnibus his, quæ ad declarationem dubij propoſiti attinebant, uidelicet quomodo medicinæ dicantur æquales, & quomodo inæquales, ſcilicet calidæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ; quæ omnia iam oſtenſa ſunt à nobis; Diximus enim quòd dicuntur calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccæ: ratione ſuæ temperaturæ potius, & præcipue: ſed quia hæ medicinæ dum applicatæ ſunt in corpore ſua potentiæ paßiua, tunc aptæ ſunt facere modo effectum hunc, modo illum, dum modo prius alterentur à calore innato, & per ipſam deducantur ad actum; qua de cauſa poſtea dicentur, uel calidæ, uel frigidæ, ſiue ſint cibi, ſiue medicinæ: de his ſatis, ſuperq; à nobis dictũ fuit. modo quia Auer. ſemper fuit, ubiq; ſtimulus & ubi potuit contrarius Gal. tum quia ſibi perſuadebat, tum quoque inuidia commotus; præterea, quia Auerro. fuit uir maximæ authoritatis, ideo non eſt ſpernendus; quæ ſua opinio eſt ponderanda adamußim; de eo igitur dice-

mus primum, deinde res ponderabimus solutis obiectis; uideamus igitur, quid dicat ipse per hæc sua dicta contra Galenum, & in quibus ab eo dissentiat; Auerro. in quinto colliget, cap. secundo instat contra ipsum Galen. in tribus: & primo dicit Gale. non recte distinxisse cibum à medicina, ita quòd de hoc arguat ipsum tantum de insufficientia, ideo erit diminutus; quia Gal. distinguens cibum à medicina dixit, cibus est, qui patitur à calore humano, & conuertitur ab eo in substantiam corporis; At medicina non patitur, nec alteratur ab ipso calore; sic dicit Galen. secundum Auerroem; Arguitq; ipsum super hoc, quòd dicebat, cibus patitur, medicina non patitur à calore, uidelicet quòd cibus quidem conuertatur per calorem nostrum in substantiam nutriti, non patitur medicina, idest non conuertitur in substantiam dictam: Modo dicit Auerro. quòd hæc non est sufficiens distinctio cibi à medicina, quia non tantum possunt differre in hoc, sed & in alio, quia dicit Auerro. quòd etiam medicina patitur à calore innato, uti & cibus, quia cibus, & medicina, dicit Auerro. patiuntur à corpore, & ponunt naturales partes cibati: (notate quæso) sed medicina, & si ponat partes naturales cibales, scilicet alteretur à calore, non tamen illa est in specie partis dissolutæ, uidelicet non potest conuerti in substantiam eiusdem speciei dissolutæ; sed etiam alterat membra corporis quoquo modo absque eo, quòd efficiatur pars naturalis cibalis eiusdem speciei dissolutæ sed cibus quidem succedit in locum partis naturalis cibatæ eiusdem speciei dissolutæ: ideo ponit partes na

tu=

turales cibales, ac conuertitur in ſubſtantiam nutriti, ut ſint partes eiuſdem ſpeciei. ideo dicit Auerro. ſic diſtinguі debent cibus & medicina; non, ut inquit Galenus, qui in hoc fuit inſufficiens, & imperfectus: Dico quòd Auer. recte dicit, & ſuus diſcurſus eſt bonus: ideo exponamus etiam nos ſententiam Auerro. & notandum, qui traduxit Auerro. dubio procul fuit aliquis barbarus; Dico modo, quòd dum Auerro. dicit ibi, PONIT PARTES NATVRALES CIBALES, DICIT, PONIT ideſt efficit partes cibales cibati eſſe naturales alterando, quia per alterationem extrahitur ſuccus ab eis per ipſum calorem, unde fiunt partes cibales eſſe naturales, ſic uult intelligere Auerro. inquit igitur ipſe Auer. quòd ita medicina, ut cibus ponit partes naturales cibales eſſe naturales, uidelicet efficit partes cibales eſſe naturales, ſed differentia eſt modo inter cibum & medicinam, quia cibi partes fiunt tales à calore innato, ut fiant eiuſdem ſpeciei cum corporis ſubſtantia, unde cibus ſupplet ad quantitatem, ubi deeſt; ſed medicina efficit partes eas naturales alterando per qualitatem, non autem per quantitatem, ideo medicinæ partes diuerſæ ſunt in ſpecie à partibus, & à ſubſtantia corporis; & quidem Auerro. optime diſtinguit medicinam à cibo, poſtea inquit Auer. ego inueni hanc ultimam differentiam per ſegregationem, & diſtinctionem, quam inquit, quidam meus ſocius, qui appellatur Ahubetri Auenſuſa, nunquam inuenire potuit, neque ſcire hanc ultimam differentiam; ſed tandem dicit, ei miſi multas epi=

epistolas, quousque hoc planè intellexerit, debebat igitur, dicit Auer. Galenus, si nolebat insufficiens appellari, diuidere eo modo, quo nos fecimus, reuera Auerro. optime diuidit, sed male & inique inuehitur in Gal. carpens ipsum uti insufficientem; Nam Galenus ipse optime diuisit, quemadmodum sæpe ostendimus. Dicebamus enim supra, quale nam esset medicinæ proprium, qualeq; cibi, cibi autem proprium illud est, ut eius partes conuertantur, in substantiam nutriti, scilicet eiusdem speciei; ideo quando dicimus cibi proprium illud esse, ut uertatur in substantiam nutriti. idem intelligendum est, quòd cibus à calore uertatur in speciem partis dissolutæ, uel sit eiusdē speciei partis dissolutæ. cibus igitur si uertitur in substantiam nutriti, ergo erit eiusdem speciei cum nutrito, è contra uero, si cibus non fieret eiusdem speciei cum nutrito, ergo non uerteretur in substantiam corporis. unde maxime admiror de ipso Auerroe, qui ita carpit Galenum, quòd non recte distinxerit, & quòd dixerit male, cibi proprium esse, quòd uertatur in substantiam nutriti: qui quidem optime ponit hanc ultimam differentiam, quam & Auer. sed non per eadem met uerba, quæ Auerroes scripsit; præterea quando dixit Galen. loquens de proprio medicinæ. medicina hoc proprium habet, quod nihil de ea conuertatur in substantiam nutriti, quod quidem est, ac si diuersæ remaneant speciei medicina, & corpus. Vnde Auerro. uerti in substantiam nutriti, & non uerti, sunt duo characterismi prorsus oppositi, tu modo dicis, quòd Galen. non posuit ultimam differentiam; mihi au-

tem

tem uidetur, quòd sic. nonne est illa ultima differentia cibi à medicina, quòd medicinæ nihil uertatur in substantiam nutriti, cibus uero est, qui habet uerti & mutari in nutriti substantiam. Ideo Auerro. uel inuidentia impulsus, uel odio commotus imponit, quæ non sunt imponenda Gal. Quantum ad secundum in quo inuehitur contra Gal. dicit Auerro. quòd succus uel medicinæ, uel cibi extrahitur per calorem; huiusmodi autem detractio, seu deductio est extractio potentiæ paßiuæ cibi, uel medicinæ per ipsum calorem ad effectum, & ad actum; unde succus extractus penetrans per membra efficit naturales partes cibati: nisi enim medicina & cibus alterarentur à calore, & nisi eorum succus primum extraheretur à calore, non possent cibus & medicina conuerti de potentia paßiua ad actum. igitur arguit Gal. in hoc, & diminutum appellat, quòd nihil dixerit de hoc; Dico autem ego, quòd Gal. etiam de his sermonem habuit, & optime ad hoc satisfecit, quòd dixerit, patet, quoniam si recte uideatis in secunda cibi proprietate absoluti quemadmodum etiam uidere potestis in nostra tabula, etenim est primum cibi & medicinæ proprium, diuidit enim hæc duo, uidelicet quòd cibus omnino conuertatur in substantiam nutriti, medicinæ uero nihil, in hoc autem secũdo proprio tam medicina absolute dicta, quam cibus absolutus habent hoc commune, quòd ambo in sua substantia sint in potentia paßiua. potentia enim paßiua in tota substantia, tam medicinæ, quàm cibi absoluti. à quo uerò id est? nisi quòd calor naturalis potest immutare substantiam, tam medicinæ,

cinæ, quàm cibi per ſucci horum extractionem. poſt autem extractionem ipſius ſucci per calorem, tunc deducitur ad actum medicina, & agit, uel hoc, uel illo modo uirtute tantum actiua, quemadmodum, ut dicit Gal. cantharides, quæ habent exulcerare inteſtina & ueſicam, non autem ullum aliorum membrorum: unde prouenit hoc? non corrodunt uentriculum, quia in eo non remanent, ſed ueſicam, quia ſuccus earum extractus à calore naturali deſcendit ad hepar, per quod tranſit, deinde per renes, tamen nullum horum membrorum exulcerant, ſed tantum, quum deuenerint ad ueſicam, eam lædunt, ſic Lepus marinus non lædit hepar, nec aliud membrorum, at tantum modo ipſum pulmonem offendit ratione ſui ſucci extracti à calore. Videtis igitur, quòd Galen. optime de his pertractauit. in quibus tamen carpitur ab Auer. male itaque inuehitur Auerro. contra Galen. etiam in hoc. prius enim agitur per alterationem caloris in medicinam, à qua extrahitur ſuccus, qui deinde diſtribuitur per omnes partes corporis: ſed tantum corrodit tale, uel tale membrum, uti fuerit ei aduerſans ſuccus ille. & hæc omnia dicit etiam Gale. ſed dicet quiſpiam, uidetur hoc, quod dicis, falſum, quòd à uenenoſa medicina extrahatur ſuccus per calorem, qui deinde ſuccus diſtribuatur per corpus, ac habeat corrodere. probo quòd ſit falſum, non ne Galenus in ſecundo de facultatibus naturalibus ponit quatuor uirtutes naturales in unoquoque membro; quarum una eſt attractiua, quoniam habet attrahere, quod utile eſt, & quod regitur à natura, quod ue

ro est malum, expellitur ab expulsiua, & excremento-
sum, dicet ille si sic, quomodo ergo harum medicinarum
uenenosarum succi attrahuntur à uirtute illa naturali, di
stribuunturq; per uenas, quum sint prorsus contrarij na
turæ? At quicquid agunt quatuor illæ uirtutes natura-
les, id tantum modo est intentum à natura, nõ autem præ
ter naturam? Dicatis, quòd natura & uirtus attracti-
ua, & si sit naturalis, attrahit huiusmodi succos ueneno-
sos, at non attrahit prima intentione, quoniam non in-
tendit ipsa agere malum, uel attrahere, quod est nociti-
uum, sed iuuatiuum. Attrahit autem succum cantharida-
rum, & huiusmodi uenenosa secunda intentione, et con-
secutiue, & causa necessitatis, seu ui. Declaro, quan-
do cum cibo est quid de medicina uenenosa, succus, qui
commiscetur cum chilo, habet deinde de necessario, ut
cum chilo attrahatur & cum spiritu per arterias, & ue
nas uniuersi corporis. de quibus omnibus quoque pertra
ctat ipse Galen. & optime, ut uerbi gratia succus opij at
trahitur ab arterijs hoc modo, quæ cum spiritum ue-
lint haurire, attrahitur spiritus inuicem ab una ad a-
liam arteriam per suos meatus successiue; unde si tunc
aderit de succo uenenoso, cum ipso chilo, de necessario
attrahitur etiam succus ille malus cum ipso chilo, &
spiritu simul ad uenas & arterias: Dum igitur arte-
riæ primariæ intendunt spiritum attrahere, & de chi-
lo, etiam nonnunquam attrahunt de huiusmodi succo
uenenoso mixto cum spiritu; quæ quidem attractio,
ui diximus, non est intenta à natura ex prima inten-
tio-

tione : quoniam primario natura intendit & uult attra= here, quod iuuatiuum eſt, ſed aliquando etiam ſecundario, & conſecutiue attrahit, & de neceſſario, quod nocitiuũ eſt : Hoc enim modo ſoluitur dubitatio iſta, reſpondendo itaque ad Auerroem, Dico, quòd Auer. male inuehitur contra Galenum, uocans ipſum diminutum, mancum, & ignarum diſtinctionis, de qua optime locutus eſt ipſe Ga lenus. uult igitur Galenus quòd ſuccus extrahatur à me= dicina, ſicuti à cibo. Tertio Auerro. carpit Galenum petens ab eo, quomodo medicinæ frigidæ deducantur ad actum, inquit Auer. ò Galene facile eſt dicere de medici= nis calidis, quomodo illæ deducantur ad actum, ſed inquit ipſe, uellem ſcire à te, quo nam pacto medicinæ frigidæ poßint actuari, & in hoc ſe equitem facit contra Galen. & medicos; dicit enim tu fugis, appellat ipſum fugitiuũ & transfugam (fugitiuus autem dicitur ille, qui derelin= quit ſuum proprium inſtitutum & proprium munus) Inſtitutum autem Galeni id erat, oſtendere, ſcilicet, quo= modo medicinæ omnes reſpectu caloris humani dicantur tales in potentia, quæ potentia eſt tantum futura fieri, et poſtea habet deduci per calorem innatum ad actum. Di= cit Auer. hoc debet eſſe ſuum dogma, quòd .i. medicinæ omnes ſint potentia tales, quæ omnes habeant deduci ad actum per ipſum innatum calorem alteratione : modo di cit Auer. quando Galenus dicit ita, quòd omnes medici= næ immutantur à calore, uidetur mihi, quòd calor natu= ralis non poßit uincere medicinam frigidam, minimeq; eam immutare, & immò potius uidetur fieri oppoſitum,

quòd,

q̄, scilicet ipsa frigida medicina immutet calorem & alteret eum ad aliud. Sic enim arguit Gal. uti qui hoc non declarauerit, uideatis modo Auerroem in quinto colle. cap. 3. ubi dicit, ITA QVOD GALENVS QVASI FVGITIVVS. Carpatur tu dicis ò Galene omnes medicinas posse deduci ad actum per alterationem caloris usque ad minimas partes ipsius medicinæ; postea dicis, q̄ medicina frigida non alteratur à calore, immò q̄ ea alterat calorem ipsum, nec segregari possunt medicinæ frigidæ ad minima ab eo, quæ segregatio tamen est necessaria, & est communis tàm frigidis, q̃ calidis medicamentis; At per te ò Galene calidæ medicinæ tantummodo diuiduntur, nõ autem frigidæ; uerum oportet, q̄ & frigidæ alterentur à calore in qualitatibus ab eoq́; deducantur ad actum; sed dicis tu, q̄ non deducuntur per calorem ad actum, immò q̄ fit oppositum, quoniam tales medicinæ frigidæ alterant calorem, ideo, quum sic dicas, relinquis tuum proprium institutum? profectò ut uerum dicam, hucusq; semper fui persuasus à dictis Auerrois, ut contra Galenum circa materiam hanc militarem. Verum DEO Optimo Maximo gratias ago, à quo sum illuminatus de ueritate, ut me ipsum arguam de tanto errore. meq́; magis, quam alios; nũc quidem melius rem ipsam uideo & cognosco, & q̄ Galenus optime dicit, unde male damnatur ab Auer. cuius sententia antea adeo apud me ualuit, ut cum eo prorsus essẽ, sed deceptus est Auer. non autem Gal. qui recte dixit, siue quia non intellexit Galenum, aut quia noluit intelligere; ideo diligenter attendendum est ad respõsionem nostram

factam ad Auerr. quam facile etiam per mea superius di=
cta, si quæ diximus, facilime quisque potest dare. Verum
quia hæc sunt satis difficilia. denuo repetemus illa met. Di
ximus quippe commune esse & medicinis, & cibis, q. tàm
medicinæ, q̃ cibi essent in potentia paßiua respectu calo=
ris innati, ita q. medicina aut cibus, quando offertur cor=
pori humano, calor innatus primo incipit agere in sub=
stantiam horum (non loquor de ueneno: quum illud non
poßit dominari ullo modo à calore) & ita agit calor in
hæc, q. dominatur toti substantiæ. seu sit cibi substantia,
seu medicinæ; & quum dominetur, attrahit succum ex his
nec aliter, quam si ligna igni superponantur, quæ ligna si
fuerint proportionata, & in debita quantitate, & conue
nienti ipsi igni, semper ignis aget in ea, ac dominabitur il
lis; sin autem ligna essent absque proportione, suffoca=
rent ignem ipsum; sic itaque si cibi & medicina fuerint in
debita quantitate respectu caloris, calor alterabit cibos,
& medicinam, eosq; uincet; at si cibi, uel medicina fuerint
in nimia quantitate, Dico, q. tunc suffocabunt ipsum ca=
lorem, quantum uis essent optimæ qualitatis, si uero ipsi
essent uenenum, tanto magis; si enim optimum uinum, &
caro pullorum &c. qui sunt boni cibi, si inquam exhibe=
antur quantitate indebita, lædent calorem; si uero debita
portione, tũc omnino alterantur ab ipso calore: sic igitur
debent esse ligna respectu ignis quo ad quantitatem, uti ci=
bi, & medicinæ respectu caloris siue modo ea ligna fue=
rint sicca, siue uiridia, semper ignis tunc dominabitur sub
stantiæ lignorum, & diuersimode in siccis, & uiridibus;
nam

Ex medicamentis ut cibis suis calor innatus attrahit quoque substantiam suam.

nam ſi lignorum ſubſtantia fuerit non humida, ſed ſicca; non patitur ignis ab eis, immo ſtatim inflammabit ea, & ſine ulla reſiſtentia ſenſibili lignorum uincet ac ea comburet; qua uictoria in ligna ſicca tunc calor augebit ſuam ſubſtantiam, & qualitatem, ſed ſi ſint ligna uiridia & humectata, tunc non ualenter, ſed ægre ignis dominabitur illis, qui agens in ea ab illis extrahit ſuccum, ſed debiliter, quia ſuccus ille repugnat ualde naturæ ignis: & certum eſt, quòd ignis ipſe diminuitur aliquo modo ab illa humiditate ſubſtantifica lignorum; ab eaq; ueluti refrigeratur; quæ refrigeratio facta in igne perſeuerabit quouſque ignis conſumpſerit eam lignorum humiditatem, quia tunc remittitur paßi reſiſtentia, ꝙ paßum erant ipſa ligna, Ipſum uero agens ſcilicet ignis inualeſcet, & tandem augebit ſuum ſubiectum proprium, & ſuam qualitatem, quoniam ſequetur tunc actio, & dominium caloris ſuper ipſa ligna; licet prius ignis ab humida ſubſtantia lignorum fuerit diminutus, ac refrigeratus. Idem, ut de igne dictum eſt reſpectu lignorum, quæcunque ſint, dicatur quoque de calore innato reſpectu ciborum & medicinarum. Si enim exhibeatur medicina calida corpori noſtro, illa talis medicina erit quale lignum ſiccum reſpectu ignis; in quo quidem ligno ſicco ſunt partes inflammabiles, terreæ, ſubtiles: quæ habent etiam quandam proportionem cum calore, ſic medicinæ ſubſtantia quando abſumitur, ſi calor inuenerit eam ſubſtantiam proportionatam ſibi, ut facile poßit eam inflammare, ſtatim eam inflammat calor ſecundum naturam

earum partium. Veluti enim se habuerint partes illæ in natura sua, ut magis, uel minus facile inflammentur; sic augebitur calor modo benignus, & suauis modo acutus, & mordax; & tandem eo modo, quo ignis augetur per combustionem lignorum, sic augebitur calor per inflãmationẽ partiũ medicinæ, aut cibi, sed non adeo augetur calor, nec adeo fit magnus, dum augetur per inflãmationẽ partiũ subtiliũ, quemadmodũ quãdo augetur à partibus crassis inflammatis: nam quando palea accendit ignẽ. ille ignis auctus non fit ita auctus, sicuti quum inflammatur quærcus aut ferrum: Quærcus enim & ferrum habent partes densas, non facile resolubiles, ideo sunt ignis subiecta ualida, quum fuerint ignita, & consequenter reddunt calorem ualde acutum, mordacem, & quasi rabidum, quamuis pluri egeat ignis ille tempore. ad hoc, q, uincat ferrum, q̃ paleam, quoniam ferri partes non sunt adeo paratæ, nec adeo faciles ad ignem suscipiendum ratione penetrationis. tamen quo diutius ad difficilius inflammantur, eò tardius desinũt à tali inflammatione, præter hoc, q, talis igneitas est acutißima. At in palea; quia subiectum paleæ est debile partesq; eius subtiles, facile inflammabiles, ac facile resolubiles, aliter dicendum est, cito quidem inflammantur, sed cito etiam resoluitur calor ab eis, qui est mitis magis, ac minor respectu ignis existentis in quærcu, aut in ferro. pariter dicendum de inflammatione medicinæ, quæ dum offertur calori humano, calor quidem inflammat illam, uerum diuersimode in hac, q̃ in illa, secundum q, eius substantia fuerit debilis, uel potens, eò quia per modum substantiæ

tiæ partium medicinæ uario modo augetur calor innatus: nam modo augetur ad ſecundum, modo ad tertium modo ad quartum gradum, ut fit de pipere, quod dum inflammatur, ualde ignitur, ac maxime ignis iſte fit acutus, à qua acuta caliditate immutatur per augmentum calor ad tertium gradum: ſed ratione materiæ ſubtilis facile reſoluitur; at ſi ſit aliquis ſuccus benignus, dulcis ut chamæmeli, quod ſe habet in medio gradu ſubſtantiæ, tunc quidem calor facile inflammatur, ſed inflammatio illa eſt ſuauis, ueluti, quando accenditur palea; ſubſtantia enim eius eſt, q; non multum inflammet, ſed temperate. Quod autem dico de primo gradũ ignis, & de tertio, idem dicamus de medio gradu, ſcilicet, de ſecundo. Vnde ſecundum quòd fuerit natura, & ſubſtantia ſubiecti uel medicinæ, in quam agit ipſe calor ſuccum extrahendo, Sic calor diuerſificatur, modo mitis, modo acutus. Cum enim medicina aliqua habens ſubſtantiam ſuauem, & mediocrem inflammatur à calore, & deducitur ad actum, calor iſte redditur ſuauis, & temperatus, ratione cuius ſubſtantiæ ita temperatæ, poſtea caloris ſic aucti medicina illa accipit denominationem, ut dicatur medicina temperata: At ſi ſit medicina aliqua habens partes ſuas, humidas, per eas obtunditur calor, dum in illas agit, & tam diu obtunditur ab huiuſmodi partibus humidis, quam diu calor concoquendo humidum illud per extractionem ſuperauerit ipſum, qualis eſt ſuccus portulacæ, quem dum calor poſtea uicerit, conuerteritque pro ſui alimento, augetur quidem calor, ſed non ita,

ut per nasturtium; quoniam succus portulacæ nō est adeo inflāmabilis, ut succus nasturtij, fit quidem semp, caliditas sed uaria secundum magis & minus, maior quippe redditur calor per extractionem succi ex nasturtio, q̄ ex portulaca, seu huiusmodi alio. sic ignis, dum accendit partes in aliquo subiecto, augetur semper, sed magis in subiecto uno, minus in alio, secundum diuersam subiecti substantiam, in quo extiterit, ut de quærcu, & de palea dictum est. Fit igitur calor talis, secundum plus & minus, diuersus, pro ut fuerit diuersa paßi resistentia, aut subiecti, in quo fuerit. Non est ergo dicendum, q, medicina frigida non posit deduci ad actum per calorem innatum humani corporis eo modo & ratione, qua diximus, & simulto & longiori tempore indigeat, q̄ medicina calida, & huic patet, quæ nam sit differentia inter medicinam calidam & frigidam, quia medicina calida deducitur ad actum à calore sine magna, immo cum facilima, & in sensibili alteratione caloris ipsius. At medicina frigida non facile deducitur ad actum, sed cum magna difficultate, & longo tempore, quoniam partes eius sunt maxime rebelles calori, tamen deducuntur tandem & illæ per extractionem sui sicci à calore, & inde acquirit denominationem medicinæ frigidæ, quia calor alterando eam, non facile, nec cito eam superauit, nec ualde fuit acutus. Quod ita sit probatum est iam per exemplum Galeni de lignis uiridibus quoniam, ut dixi, uult quidem Galenus, q, medicina frigida prius agat in calorem, eumq; quoquomodo obtundat, antequam ipsa à calore illo alteretur, & uincatur. Credo igitur quod per hæc

hæc ſic enarrata, omnibus manifeſtum ſit, quomodo dici de beat medicina temperata, & æqualis. & quomodo inæqualis, & intemperata ſcilicet aut calida aut frigida, ac etiam intellectum ſit, q̃ male Auer. carpat Galenum, & hæc ſufficiant de materia iſta. Ex quo iam compleuimus materiam iſtam, quomodo ſcilicet medicinæ dicantur calidæ, & frigidæ per deductionem potentiæ earum ad actum à calore, modo remanet alia difficultas de numero æqualitatum, ſeu temperaturarum, quam non in præſenti ſermone ſed aliàs proſequemur.

Sequitur Tabula

TABVLA MEDICAMENTOrum, circa materiam.

ÆQVALITAS { In temperatura in actu. / In facultate in potentia. }

In temperatura in actu. { Aequalitas. / Excessus. }

Aequalitas, Vt in mixtione tantum sit de calido quantum de frigido, humido, & sicco.

Excessus, Vt si exuperet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. Nil autem refert, an hæc æqualitas uel excessus sint absoluti, aut relatiui.

In facultate, in potentia { Vel actiua. / Vel paßiua. }

Actiua, Vt scribendi in Scriba.

Paßiua. { Vel propinqua. / Vel remota. }

Propinqua, Vt sanguis ad carnis generationem.

Remota, Vt panis ad sanguinem generandum.

Ea, quæ corpori admouentur, sunt uel cibus absolute, uel cibus medicinalis, uel medicina cibalis, uel medicina absolute, uel medicina uenenosa, uel uenenum absolute.

Cibus absolute, cuius plurimum uertitur in substantiam corporis, nulla facta alteratione sensibili in ipso corpore, & est totus in facultate paßiua.

Cibus medicinalis cuius minus conuertitur in substantiam

tiam

N cordatio: cuius q̃ 3

tiam corporis, facta aliqua alteratione sensibili in corpore, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, et secundum substantiam totus est in facultate paßiua; secundum aliquam qualitatem in facultate actiua, ut mel, uinum potens uetustum, ptissana.

Medicina cibalis, minimum ex ea uertitur in substantiam corporis, sensibili alteratione facta in eodem corpore, caliditate, frigiditate, humiditate, et siccitate, secundum substantiam, tota est in facultate paßiua, secundum aliquam qualitatem in facultate actiua, ut portulaca, solanū.

Medicina absolute, nil ex ea uertitur in substantiam corporis, tota eius substantia est in facultate paßiua, secundum aliquam facultatem in facultate actiua sine detrimento tamen substantiæ corporis, alterans tantum, ut Theriaca, Mitridaticum.

Medicina uenenosa purgans, alterans, erodens, Nil ex ea uertitur in substantiam corporis, secundum substantiam est in facultate paßiua, secundum aliquas facultates in facultate actiua, cum manifesto corporis detrimento, alterando & corrumpendo, ut opium diminuendo, & euacuando, ut scammoneum, erodendo, ut cantharides, euphorbium, intelligitur uero ne mole excedat, nā si excederet, omnino perimeret, & corrumperet.

Venenum absolute, corrumpit totam substantiam corporis, nulla facta sensibili operatione ab ipso calore natu=

tu=

turali in ipſo ueneno, & eſt totum in facultate actiua, ut ſaliua uiperæ, aconitum, & huiuſmodi.

Notandum has omnes facultates medicinarum non determinari tales eſſe, niſi determinetur corpus, cui applicentur: nam ſecundum uarietatem temperaturarum, nõ tantum in ſpecie, ſed etiam in indiuiduo, uario modo deducentur ad actum proprium; reſpectu cuius ſunt facultates, & potentiæ.

Corollarium primum.

Quamuis medicinæ, uel cibi ſint æquales reſpectu humani corporis, non tamen ſunt eiuſdem temperaturæ.

Corollarium ſecundum.

Sequitur, ut una & eadem res ſit cibus & medicina, immò cibus, & uenenum reſpectu diuerſorum, ut eleborus, huiuſmodi medicina, cibus coturnici, cicuta uenenum homini, cibus ſturno.

Corollarium tertium.

Sequitur, ut medicina in propria temperatura inæqualis cum exceſſu inſigni quarundam qualitatum tamen reſpectu corporis, cui applicatur, ſit temperata, ut oleum, lithargyrus reſpectu humani corporis.

Corollarium quartum.

Sequitur, ut quamuis medicina dicatur eſſe in potentia reſpectu caloris innatu, qui uario modo alterat ipſam, deducendo ad actum, iſta tamen uarietas oritur ex uariaq; medicinarum temperatura.

FINIS.


NVLLA SINE LABORE
EST VIRTVS.

Cibi ab solute
1 plurimum eius in substantiam nutrientis convertitur
2 tantum in pot: pass
3 nullam habet sensibilem qualitatem

Cibi medicinales
1 minimum eius in substantiam
2 tota substantia eius in pot: passiva
3 per substantiam et qualitatem et potentiam activam

medic. cibar.
1 ad hoc minus de eo quam cibo medi: in substantiam nutrienti convertitur
2 tota substantia eius in po: pas:
3 non per substantiam sed per qualitatem et potentiam activam

Condi tiones

medic absol.
1 nihil de eo convertitur in substantiam nutrientis
2 tota substantia eius in po: pass: ita a natura expellitur
3 per quali in po: activa

medic venen:
1 nihil de eo convertitur in sub.
2 substantia partim pass: parti activam potentiam
3 qualitate activa deleterium

Venena
1 nihil convertitur eius in sub:
2 substantia propria activa
3 quali propria activa et in omnibus cibo absolute opposita non sensibiliter a calore nostro expulsa.

